

B. N. II, 82.  
h. 15, i.

Ve  
3050

*Quod bene Vortat!*

DISSERTATIO SOLENNIS

De

X 1975729

VICARIIS  
IMPERII ROMANO-  
GERMANICI:

Quam

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI

DN. JOHANNIS SCHILTERI,

JCti Famigeratissimi, Inclutæ Argen-

toratensium Reipubl. Consiliarij Primarij, & Pro-

fessoris in Illustri hac Universitate Honorarij, Cele-

berrimi, Meritissimi. &c.

In Acroaterio Majori

Publico Eruditorum Examine

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

Die 23. Julij, Anno Christi M. DC. XCIII.

sistit

JOHANNES ADLERBERG, A. & R.

Nob. Svecus.

\*\*\*\*\*

ARGENTORATI,

Ex Calcographiâ JOH. FRIDERICI SPOOR,

de Vicariis Imperii Rom. Germanici Vol. II. 83.

111 8





*SERENISSIMO CEL-*  
*SISSIMO QVE*  
*PRINCIPI ac DOMINO,*  
*DOMINO*  
**LEOPOLDO**  
**LUDOVICO**  
*COMITI PALATINO RHENI,*  
*DUCI BAVARIÆ,*  
*COMITI VELDENTIÆ,*  
*&c. &c.*

*PRINCIPI ac DOMINO*  
*CLEMENTISSIMO*

Felicitatem & Incolumitatem  
Perpetuam!



CELSSISSIME  
PRINCEPS

**D**icas submisse rogo, Clementissime  
Princeps, an major ne sit ingrati-  
do maxima beneficia silentio præ-  
terire, an tenuis opella frontispicio  
splendidissimum præfigere nomen,  
):( 2 major



major contumacia? Sana equidem dicitur at ratio sublimitatem illam, qua divina proxima in Principibus jure & merito residet, nullo modo esse profanandam; Attamen ex convenienti quapiam occasione & cum pietate humillima gratissimum suum solenniter testari animum nemini, credo, pro vitio habetur, praesertim ubi eximius in Musas earumque cultores favor audaciam, ipse excusat. Hoc ipsum est, quod mihi in mentem venit, dum Celsissimo Tuo Nomini Argentoratenses meos consecrare sum ausus labores. Multiplex enim est & non satis deprecanda gratia illa, quam post meum ad has oras accessum mihi Peregrino declarare dignatus es: Patuit namque semper ad admirationem Comitatus & Virtutis Tuae benevolus accessus: Sapius singulari ex favore contestatus es egre Te percipere nefandum modum, quò hic & alicubi in Germania famam meam ledere nisus est perditissimus quidam nebulo: Praeterea si vel qui mei hic fuerint conatus, illos Tuo applausu beare  
beni-



benignissime Semper voluisti; Idcirco & subje-  
ctissimi mei officij esse duxi, Tibi exiguam hanc  
Dissertationem in publicum submissionis meæ do-  
cumentum & Clientelæ firmamentum, piissima  
manu dedicare & porrigere. Optime etsi sciam  
hanc Chartaceam minime mereri operam, in splen-  
didarum Tuarum rerum communionem veniat;  
Sufficiat tamen mihi fecisse, quod submississimi est  
debitoris.

Suscipias itaque, Illustrissime Princeps hunc  
ingenij fœtum benigna manu, atque clementi Tuo  
intuitu gratiose illustres: quò de summâ Tua  
in me, nostramque gentem, benevolentiam non va-  
ne mihi queam gloriari. De cætero, sicuti ejus  
inclytæ es stirpis, cui RELIGIO, SCIENTIA  
& JUSTITIA hereditario quasi jure inhabi-  
tant, ita & adhuc in candidissima ætate vivus  
sentis sentiesque venerationem, quæ demum aliis  
post fata præstari solet. Deum O. M. supplex  
veneror Illustrissimæ Tuæ Famæ quam diutissi-  
ma & maxime insignia det incrementa, Teque  
omni



omni maximarum benedictionum suarum genere quam largissime cumulet. Ità vovet & quam diu spiritus hos regit artus vovebit

## SERENITATI TUAE

Dab. ex Musæo

d. 11. Jul. 1693.

Omni subiectione  
devotissime addictus servus

Joh. Adlerberg.



V



Princ  
cuiq  
ut ex  
lum  
cont  
mne  
tur, &  
ex lo  
perij  
carij  
stitia  
auter







A. D. C. M.

DISSERTATIONIS

DE

VICARIIS IMPERII.

§. I.



Imperium, quod prisca secula Romanum, posteriora, facta in Germanos translatione, de qua vid. *H. Conring. in Tr. d. Germ. Imp. Rom.* Romano-Germanicum appellarunt, v. *Maurit. de Princip. J. Publ. G. C. 2. fi.* quod si vacare contigerit, ita cuique eventui optime praevidit Prudens Antiquitas, ut ex hac re (vicissitudinum plerumque matre) nullum tamen caperet Respublica detrimentum, sed per continuam Majest. Imperatoriae repraesentationem omnes, alias non vane metuendae, confusiones tollerentur, & singula æquiori peragerentur ordine. Scilicet, ex longa consuetudine & observantia, atq; per Leges Imperij vetustas & fundamentales, certi constituti sunt Vicarij, qui in gubernando Imperio & administranda justitia Vicariam Imperatoris gererent potestatem. Sunt autem in Germania hi, *Palatinus & Saxo.* Ille in partibus

A

bus



bus Rheni & Sueviæ & ubi jus Franconicum viget; *Hic* ubi Saxonica jura in usu, sicuti clarissime probatur ex verbis A. B. Cap. V. §. 1. & 2. & ex addita hujus muneris confirmatione in Recessibus Imperij & Capit. Car. V. Imper. Parag. III.

§. II.

Vacare autem dupliciter dici potest: primo in casu Absentiæ, deinde in casu mortis & interregni. Etenim *Vacare* *judicium*, *Imperium*, *Ecclesia*, dicitur Scriptoribus mediæ saltem Latinitatis, non tantum, quoties per mortem vacantia est, sed etiam per absentiam, vel invitam, vel voluntariam. Vacatio itaque dicitur *Justitium*, sive tempus, quod vacat à jure dicundo, ait Speelm. *Glossar. Voss. d. Vit. Serm. Lat. Lib. III. C. 54. p. 658.* Sic *vacans Ecclesia*, *χολαζῶσα*, etiam quoties Episcopus vel Clericus apud hostes est, & absens, *Du-Fresne Gloss.* Atque *Vacantia Imperialis Judicatorem* in Actis S. Theodori interpretatur *Metaphrastes*, *Defensorem Regium*, *du Fresne ibid.* Rem ipsam porro, quod utroque casu & mortis & Absentiæ Imperatoris Vicariis jus illud competierit, & ante & post A. B. testatur Jus Alem. Feudale, & Imper. Rupertus in Diplom. pro filio Vicario. Illud Cap. XLII. §. 6. in Latinum translatum sic habet: *Quoties Rex extra fines Germaniæ proficiscitur, mandatum dare potest Mareschallo Imperij, ut bannum concedat loco ipsius. Isq; est Dux Saxonie, qui hoc jus habet per Thuringiam, Saxoniam & Hassiam usq; ad Bohemiam, & super omnes Francos, quicumq; illi sint, qui juri Ejus subiecti sunt. Atq; cum Rex ipsi hanc potestatem concesserit, exercet eam etiam super omnes Suevos usq; ad Rhenum, & per Montana (sive Alpes Reticas) usque ad milliare à Tridento.*



§. 7. Comes Palatinus ad Rhenum jus habet banni concedendi trans Rhenum usque ad milliare à Meti & ad Asiarn usque, ac per Flandriam. Et quamvis Rex ipsi bannum non concesserit, jus tamen banni concedendi habet, ipso jure.

Jure enim veteri Bannus sive Executio in causis Criminalibus non nisi speciali concessione Regis vel Imperatoris impetrari poterat, dict. Cap. XLII. & Jus Prov. Cap. CXV. CXXII. CXXIII. Jus Sax. Prov. L. 3. c. LXIV. Ne igitur crimina manerent impunita, absente Imperatore, necesse erat, ut Vicaria Potestas interim constitueretur. Atque hæc prima videtur fuisse occasio constituendi Vicarium unum vel plures per Imperium Germaniæ. Quorum potestas subinde etiam ad alias jurisdictionis partes extensa fuit. Ad hæc differentia apparet ex allegato textu inter Comitem Palatinum Rheni & Ducem Saxoniam, quod ille ipso jure sive scripto, sive non scripto, atque jure ipsius Comitatus & officij Palatini; Dux autem Saxoniam tum adhuc ex speciali tantum concessione, Bannum vice Imperatoris concesserit & vices ipsius extra ordinem gesserit. Hoc Vicariatus jus confirmavit Carolus IV. Imper. Ruperto Seniori Elect. Palatino An. 1375. Pragæ die Lunæ ante S. Valent.

*Wann die Pfaltzgrafen by Ryn, die Kurfursten sint, von Rom. Kaysern und Kunigen solich vvirdekeit und friheit von alten und langenzyteng gehabt han und noch haben sullen, vwann Rom. Keyser und Kunig uber Berg gezogen sint, oder ziehen, das sie dann gemeine Vicarien des Reichs hie dissyt geuvesen sint und sin sollen. i. e. Cum Comites Palatini ad Rhenum, qui Electores sunt, ab Imperatoribus & Regibus Rom. hanc dignitatem & libertatem ab antiquis & longis temporibus habuerint & adhuc*



habere debeant, quoties Imperatores & Reges Rom. ultra Alpes profecti sint, aut proficiscantur, ut hi tunc Generales Vicarij Imperij hinc citra (Alpes) fuerint & esse debeant.

§. III.

Porro Rupertus Imper. quum An. M. CCCCI. Romam petiturus Comititia Augustæ Vindelicorum celebraret, Vicarium Generalem per S. R. Imperij in Germania, Gallia Belgica & Regno Arelatensi, Provincias, Electorum & aliorum Principum, Comitum & Nobilium consilio & consensu, Ludovicum Comitem Palatin. Rheni & Bavariæ Ducem, constituit, adjecta hac præcipue ratione, quod adverterit, à Romanis Imperatoribus & Regibus prædecessoribus suis hætenus exstitisse observatum, ac etiam de Jure Comitatus Palatinatus Rheni fuisse & esse, quod cum Rom. Imperator vel Rex ultra montes Italiam ingressus fuerit, in ipsius absentia Vicariatum Imperij in Germania, Gallia & Regno Arelatensi ad Comitem Palatinum Rheni pertinuisse & pertinere. Integrum Diploma exhibet *Goldast. T. 1. Constit. Imp. pag. 381.* Inter Exempla Prædecessorum Ruperti refertur Otto IV. Imper. qui fratri Henrico, Comiti Palatino ad Rhenum, Vicarium constituerit, Romam petens. Atque ex jure hoc causam perniciosi Rheno belli inter Hermannum Comitem Palatinum & Arnoldum Moguntin. A: Episcopum videtur arcessere Seth. Calvisius ad A. C. 1155. scribens: *Dum absens est Imperator (Frid. I.) in Italia, Germaniam turbat Hermannus Comes Palatinus, qui bellum infert Arnoldo Episcopo Moguntino, quem Imperator absens præfecerat Imperio. Sed dat pœnam postea turbata Pacis*

Publi-



*Publica.* Allegat quidem Trithemium: sed apud eum de caussa præfecturæ Imperij aut Vicariatu nihil apparet, sed hanc in Chronico Hirsaug. adjicit: *Nam ipse Imperator Arnoldum A: Episcopum constituerat multis Potentibus in circuitu invitis, quippe qui noverant, eum virum justum & austum, eorum malis studiis minime consensurum.* Causa itaque fuerit, quod non Vicarius Imperij, sed A. Episcopus Moguntiaë invito Hermanno & Sociis, constitutus fuerat Arnoldus, Cancellarius Imperatoris. Atque quum *αὐτόπλης* Otto Episc. Frising. L. 2. de Gest. Frid. I. C. 28. referat, ambos ab Imperatore reduce in Comitibus reos inventos; sed alteri, A: Episcopo, ob senij morumque gravitatem & Pontificalis ordinis reverentiam parcitum, alterum punitum portatione canis: itaque verosimile non est, Moguntinum tunc Vicarium fuisse constitutum, sic etenim nullam meruisset poenam: Majorem autem nec æqualem tantum Palatinus, qui ipso jure Vicarius pacem Publicam tueri debuisset. Deduxit hoc jus in casu absentiaë Carolo V. Elector Palatinus & literas Confirmatorias impetravit Wormatiaë datas A. C. 1521. quas exhibet Goldastus in den Reichs-Sak. P. 1. pag. 241. & 243.

Idem porro jus vindicavit Palatino Rheni etiam *per Mortem* Vacante Imperio Ludovicus Bavarus Imper. in Comitibus Francofurt. A. 1339. per longam & approbatam consuetudinem inconcussa à Majorum ordinatione hætenus observatam, *Goldast. T. 3. Constit. Imp. pag. 411.*

§. IV.

Hic alter etenim Vacantiaë casus tunc maxime controvertebatur inter sedem Rom. & Imperium, & Johannes XXII. Papa Bullam Avinione prid. Kal. Apr.

A 3

A. C.



A. C. 1317. de prætenso jure Vicariatus sedis Romanæ defuncto Imperatore, promulgavit; & iis quoque, qui ipso Imperatore vivente ex ipsius commissione Vicariatus officium obtinuerunt, post discessum ipsius absque sedis Romanæ licentia retinere Vicariatum prohibuit. Exstat ipsa Bulla *cap. un. Extravag. Jo. XXII. Ne sede Vacante.* Cui quum se opponeret Imperator, is eum excommunicavit A. C. 1323. *vid. Aventin. Lib. VIII. contra quam interposita fuit appellatio ad Concilium generale, V. Hervuart. contra Bzov. pag. 243.* Secuta Comitia Rensensia ad Rhenum A. C. 1338. & ibi ex adverso foedus atq; unio inter Septemviros conditum, & Sctum factum adversus Attentata Curia Papalis. *v. Presid. Lib. 6. de Lib. Eccl. Germ. C. 3. 4.* donec tandem sub Carolo IV. Aurea Bulla plumbeæ opposita A. C. 1356. & de Vicariatu, per mortem Imperatoris vacante Imperio, res contra prætensionem quorumcunque decisa, & jus Imperij atque Vicariorum Palatini atque Saxonis per omnia stabilitum.

§. V.

Hinc itaque absentia quidem casum *nec verbis A. B. neque sensu* vel intentione *attingi* cum *Limnao in observ. ad C. 5. A. B. p. 334.* affirmo: Cum iis tamen nec illicò faciens, qui nulla ratione sub hac Potestate Vicariatus Palatino & Saxoni collatâ absentia casum, tum temporis non controversum, volunt comprehensum. Eatenus enim posterius hoc sub verbis A. B. intellectum concedimus cum Tabore ad A. B. h. t. & putamus, quatenus Generales Imperij Vicarij sunt, & si forte accideret extra Imperium proficisci Imperatorem sine constitutione specialis sui Vicarij, utique asserimus argumento hujus Legis competere dictis Electoribus jus Provisionis



tionis & Vicariatus, salvo tamen Imperatoris vivi jure in casu absentiae. Cum enim Imperatores in Exoticas terras abeuntes proprios sibi constituere Vicarios soliti, (quos alij *Imperatoris non Imperij*, alij *speciales* vocant) ceu plurima facti prostant exempla, quæ videri possunt, præter alios, apud *du Frên. Gloss. Voc. Vic. Imper. & Sprengerum Instit. J. P. L. II. Cap. XXX. p. 283.* Itaque convenienter præsumitur hanc potestatem Imperatori per Auream Bullam non fuisse ademptam, quo minus ipse relinquat Vicarios, qui suo loco Imperio præsent: nec, absque eo si fuerit, Vicariis ordinariis jus suum non competere. Hac occasione meminimus distinctionis, quam adhibent nonnulli inter *Imperatoris & Imperij* Vicarios: *Hi* in casu mortis: *Illi* in casu absentiae vel arbitrij Imperatoris: *His* minor, *Illis* certo modo major est potestas. Sed ut verum fatear, illam distinctionem subtilem magis quam necessariam reperio: Et forte hoc auctori, cui etiam aliis in negotiis id solenne est, largiendum. nam si naturam Vicariatus & Vicariorum diligentius inspicio, parum inter hos duos invenitur discriminis, cum eorum uterque Imperatoris vices gerat, & pari modo: nam tempore Vacantiae aliquem in Imperio Superiorem neuter agnoscit: Uterque tempus sibi præscriptum habet, & sic neuter est perpetuus. In eo tamen differentia videtur, quod alterum Lex & jus constituit, alterum & Imperator.

§. VI.

Diximus Par. I. per Germaniam Vicarios esse Palatinum & Saxonem; Scilicet quò contradistinguuntur iis, qui extra Germaniam & in Italia vel quondam fuerunt, vel jam adhuc sunt, atque aliàs perpetui, ob continuam hujus tituli & Potestatis possessionem ac usum,  
di-

ante  
qui  
ica-  
abs-  
pro-  
Ne  
r, is  
VIII.  
um  
cuta  
ad-  
, &  
Præ-  
sub  
356.  
m-  
isa,  
onis  
  
s A.  
ob.  
nec  
ca-  
um  
um  
um  
qua-  
de-  
sti-  
en-  
ovi-  
onis



dicuntur. Talem vero esse Sabaudum satis testantur hæc Capitul. Leopold. verba, Art. IV. So thun wir auch das jenige / was das Churfürstl. Collegium unter Dato den 4. Junij an ihne wegen annullir- und Aufhebung des dem Hause Savoya zu Nachtheil unterfangenen Kayserl. und Reichs Vicariats und Generalats, in Italien geschrieben / hiemit allerdings einwilligen und bestättigen / dergestalt / daß wir ob desselben Begriff vestiglich halten / und die Herzogen von Savoya bey ihrer in Italia habender Vicariats-Gerechtigkeit und Privilegien gebührend schützen und handhaben wollen. Hos Hæreditarios Particulares vocat Sprengerus & cum meum non sit de iis hac vice prolixius agere, Lect. remitto ad eum Cap. XXX. lib. sup. Cit. pag. 284. & Limnæum, Tom. I. L. III. Cap. 12. n. 8. It. ad h. l. Capit. Leop. & A. B. ac se ipsum citantem; Cæterosque Systematicos J. P. Scriptores. In specie vero de Sabauda, & num potestas eius Vicaria absoluta sit & sui juris, videatur consummata hujus studij notitiæ encomio dignus Conringius de fin. Imp. L. II. Cap. XXV. p. 633. & seq. Edit. Noviss.

§. VII,

Limites Vicariatus sunt ex Parte Palatini intra Partes Rheni & Sueviæ, & ubi jus Franconicum in usu, ut expressa A. B. verba c. V. evincunt, & ex parte Saxonis, ubi Saxonica jura servantur. Hic autem vocabulum juris pro districtu capi vix poterit. Nam id non intendere Carolum vel saltim patet ex voce *servantur*, §. II,

§. VIII,

Præscribit Vicariis ratione jurisdictionis certos limites A. B. ut & ratione temporis. Sicuti enim à momento vacationis Imperij suam exercere possunt potestatem,



statem, ita & illa ulterius se non extendit, quam ad coronationem Regis Romanorum, vel ad illud tempus, quo novo Capite gaudet Imperium. Id enim indicant verba ista, *ad manus futuri Regis Romanorum*. In Textu Germanico, qui in prima Parte omnium S. R. I. Constit. Moguntiaë edita A. M. D. LXVI. legitur, ejusmodi habentur verba: Wie offft das Heilig Reich/ als obsteht/ ledig wird/ soll der erleucht Pfalzgraff bey Rhein/ des Heiligen Reichs Erz-Truchseß / an statt eins Römischen Königs/ in Landen am Rhein/ in Schwaben und Francken/ von des Chur-Fürstenthums und Pfalzgraffschafft Freyheit wegen ein Verweser und Pfleger des Reichs seyn &c. Sic facilis est sensus, dum per verba *ad manus*, non nisi, *loco & nomine R. Rom.* intelligi debeant. Sed non solet *manus* pro *vice* usurpari. Atque ista translatio non est antiqua & coæva textui latino, vetus enim ita habet in Cod. MS. Bavarico, quod ex Bibliotheca Hordlederiana Præses possidet: Wie dick es hienach geschicht/ daß das Heilig Reich ledig stet/ so soll der Pfalzgrave vom Rhein Vormund sein des Heiligen Reichs von der Pfalzgraffschafft wegen/ zu der Handt eins künfftigen Römischen Königs in den Landen des Reins und Swaben und in Francken.

Quid porro sit *ad manus habere* constat ex documento vetusto apud Freher. in Orig. Pal, Cap. 6. *Conscripção Marchæ & Silvæ quæ pertinet ad Virunheim in pago Ringovve, sicut eam Chunradus Rex ad manum suam habuit.* Quod du Frêne in Glossar. interpretatur tenere, possidere, *avoir en main.* In Handen haben/ zu Handen bekommen. Vetus formula, quæ jam tum apud Otfridum existat lib. V. c. 1. de cruce Christi canentem:



*Iz rihit vvorolt enti  
Zi fines selbes henti.*  
dirigit orbis terminos  
ad suasmet manus.

Idem l. 1. Cap. XI. 29. 30. Edictum Augusti Imper. re-  
ferens :

*Ella vvorolt enti  
Zi minera henti*  
Omnes mundi fines  
ad meas manus.

Eo usque ergo durat Vicariatus exercitium, usque dum  
Rex electus ad manus suas accipit Imperium, ut non  
opus sit multis criticum hic agere & pro *manus* legere  
*munus*, quod Limnæo in mentem venisse videtur. Obs.  
2. ad h. l.

§. IX.

Ostendi in præcedentibus, per A. B. constitutos  
esse in Imperio Germanico Vicarios, Palatinum & Sa-  
xonem. Nec tamen ideò dicitur utriusque Vicaria-  
tum hac Constitutione non esse antiquiorem; Et qui-  
dem quod Saxonem attinet, contra nonnullos alios  
affero, ejus Vicariatum, præcipue respectu absentia: Im-  
peratoris, A. B. quoque vetustiore esse, nec capere e-  
um omnino ex hac Lege prima sua incunabula: quod  
satis probat supra Tit. citatus ex jure antiquo & Feu-  
dali Alemannico: & iis jungas etiam illa quæ habet  
Burgoldensis ad J. P. Disc. P. 1. D. XIX. p. 329. qui pro  
Saxone authentica satis & antiqua testimonia ex Span-  
genbergio & Crantzio exhibet.

Sunt tamen, & præcipue Limnæus & Sprengerus  
l. cit. atque Arumæus ad h. l. qui putant nullum pror-  
sus fuisse Vicariatum Saxonis ante A. B. sed eâ ipsâ in-

tro.



troductum, ita ut ipsi originem suam adscribere debeat. Quid vero de eorum opinione sentiendum, pateſcet forte, dum argumenta illorum accuratiori lance perpendero: Pro palmario adducunt verba A. B. *Et eodem jure Provisionis frui volumus*, quasi indigitarent illicò ista nullo Vicariatus jure antea gaviſum Saxonem, cum eo ipſo illum tunc frui voluerit Carolus. Sed qualis hæc ſit connexio, Lynceus certe ſit, qui videat. Quin imò pro illiſeſſe non poteſt Aurea Bulla, utpote quæ nihil expreſſe in hoc caſu de Saxone tradit. Et ſi verbis ſtriçte inhærendum, vel forte non niſi λογομαχία foret, vel ſatis ſane probari poſſet plura competere Saxoni, quam quæ in textu expreſſa ſunt. Sic enim reliqua in Palatinum collata poteſtas, ut judicia exercendi, de feudis inveſtiendi &c. Saxoni ideo adempta non judicatur, quod nulla ejus in verbis fiat mentio.

§. X.

Poteſtatem Vicariorum nunc conſideraturus, præ primis neceſſarium reperio, examinare ea, quæ claris literis conſtituit Lex. Scil. *Cum poteſtate judicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi redditus & proventus, & inveſtiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperij recipiendi.* Hæc ſunt illa in A. B. conceſſa jura, quæ alias nemini, quam Imperatori ipſi primariò competunt. Primum igitur eſt *judicia exercendi*; id quod primarium atque eſſentiale munus eſt Palatij Imperialis Comitum, ut vice Imperatoris jus dicant, in eoque vicaria illa poteſtas Comitibus S. Palatij vel Palatinis jugiter inhæſit, olim in Palatio ipſius Imperatoris præcipuè, quandoq; etiam in provinciis ab eodem, poſtea in Palatiis Imperij hinc inde erectis à pluribus atque eò deſtinatis exercita. Hodie ſit



autem hoc in Summis Germaniæ Tribunalibus quæ sunt Camera Imperialis, des Heil. Reichs Cammer-Gesricht/ & Curia Aulica Cæsarea, der Kayserl. Reichs Hof-Rath; Quoad iudicium Aulicum, tempore Vicariatus habetur illud à singulis Vicariis in suis Palatiis vel Districtibus, sub titulo *Regiminis Vicariatus*. Quoad Cameram Imperialem, utique post decessum Imperatoris suam, æq; ac antea exercet jurisdictionem, cum tale exercitium jurisdictionis Camerae impedire nec valeat vivus Imperator, daß dem Cammer-Gesricht sein strackter Lauff gelassen werden soll. Ord. Imper. tit. 35. part. 2. Conf. Carpz. L. II. Resp. Jur. Elect. Tit. II. d. Exc. for. Incomp. R. XX. Justitia vero existente inter regno administratur in Camera sub nomine atque insignibus utriusque Vicarij. Hoc vero & obiter notetur, motam fuisse inter *Saxonem & Palatinum* sub initio hujus seculi controversiam ratione Vicariatus Imperij circa Cameram Spirensis; *Hoc* utique ob situm Camerae in Districtu Palatino id juris sibi soli esse obtendente: *Illo* & remonstrante vim sententiarum Camerae in suis quoque exerceri provinciis. Res ita composita est A. C. 1612. ut simultanea & æqualis esset utriusque in Cameram ratione Vicariatus potestas, scilicet, quod sub communi utriusque Vicarij nomine & titulo processus expedirentur. Quæ vero circa hæc duo iudicia gesta sunt, durante provisione, confirmare debet solio admotus Imperator. vid. Capit. Car. V. art. 26. Ex his sequitur, ratione judiciariæ potestatis omnia competere Vicariis, quæ habet Imperator in Imperio, nisi quæ specialiter in LL. Fundamentalibus excepta sunt.



§. XI.

Jus, cujus aperta fit mentio, alterum est *presen-*  
*randi ad beneficia Ecclesiastica*, quod nihil esse aliud affir-  
 mamus, quam jus Patronatus: h. e. jus eligendi, nomi-  
 nandi & præsentandi ad Sacrum Ecclesiæ ministerium,  
 atque huic annexum beneficium seu redditum & obven-  
 tionem. Quod jus uti Jure veteri atque regulariter pe-  
 nes totam erat Ecclesiam, *can. nulla. dist. 62. & C. seq.*  
*Fr. Duaren. lib. V. de S. E. M. c. 1.* ita invaluit Justiniani  
 in primis ævo, ut dotatores & fundatores Ecclesiarum,  
 quò magis ad id invitarentur, hoc jus acciperent. *Novel.*  
*LVII. c. 2.* jure tamen Cleri atque Principis salvo, *Nov.*  
*123, c. 1. & 18. Nov. 127. c. 2.* quod jus Patronatus vo-  
 catum, de cujus origine & progressus Bosquetus *ad In-*  
*nocent. III. lib. III.* Et quanquam Marsilius Patavinus ad  
 Ludov. IV. Imper. hanc beneficiorum distributionem  
 rem omnino temporalem atque secularem adstruere  
 referatur, V. I. defens. Pac. 15. & 2: 17. verum tamen est,  
 spiritualitati, quam vocant, annexum id esse. Ex quo  
 & jus Regaliæ seu Regaliorum derivatum, de quo idem  
 Duaren. Lib. III. c. XI. Quod jus uti Regi Galliæ sine  
 dubio competit, ita in Imperio Germanico merito Im-  
 peratori hoc loco vindicatur: sicut & jus Primariarum  
 Precum quæ tamen jura non confundenda, neque hic  
 in A. B. jus ad beneficia Ecclesiastica præsentandi de ju-  
 re Primariarum Pr. accipi potest, quum hoc Imperato-  
 ri ipsi exercendum aut alteri cedendum competat, non  
 Vicariis. Fuir enim Consuetudo Principum, *ait Conrad.*  
*Vissperg. de Ottone IV. Imperatore*, ut liberaliter & promte  
 beneficia seu Ecclesias conferrent Primis petentibus.  
 Atque Exemplum quod H. Conringius *in Bull. Innoc. X.*  
*C. IX, q. 313.* huc trahit, de Ann. 1145, non videtur jus Pri-



mariarum precum continere, sed concessionem Præbendarum quæ Imperatoris erant propriæ in Ecclesia Trajectina. Certe Rupertus Imper. jus Precum harum ita An. 1402. Norimbergæ die Lunæ post S. Catharinæ exercuit, ut refractariis Decano & Capitulo S. Bartholomæi Francofurti, non admittentibus primas Preces insinuantem, & conferentibus præbendam primo tunc vacantem alteri, omnes libertates & bona decimasque adimeret, & per Landvogtium Wetteraviæ Fisco Imperiali addiceret.

Habent ergo Imperatores hoc jus præsentandi, & quin in alios id conferre queant nullum est dubium; licet meum nunc non sit inquirere in Quæstionem, num hocce veletiam Primarium Precum jus per concessionem à Pontifice, aut jure suo & ex longa consuetudine sine fundatione aliqua habeat Imperator? Potius tamen posteriori accederem parti, statuendo cum Bœclero, *Notit. Imp.*, l. 4. C. 1. esse hoc jus Primariarum Precum reliquias pristini, quod circa Sacra quondam habuere Imperatores: Qui plura desiderat, vid. *Conring. in Anim. ad Bull. Innoc. X.* Intelligunt nonnulli per hoc jus præsentandi illud Primariarum Precum, quod sic unum idemque foret; Sed id nos non credere facit primò discrimen, quod, *ἀνεῖβως* loquendo, est inter præsentationem solam & promotionem ipsam, per quam sc. omnino recipere debet personam præsentatam Collegium vel Ecclesia, cui præerit: Deinde, quod jus Primariarum Pr. Imperator electus demum ipse exercent, hoc vero jus præsentandi etiam Vicarij, igitur diversa sint oportet.

Limnæi opinio est, *Obs. XI. ad h. l. A. B.* extinguere Jus Primariarum Pr. cum Imperatore & sic Vicariis nul-

lo mo



lo modo concedi posse, sed non magis extinguere hoc arbitror, quam reliqua specialia Imperatoris Reservata, quorum quædam & Vicariis Majestatem Imperatoriam representantibus competere possunt, nec video, quid obstet, quo minus ea & Vicariis concedi possint, quæ aliis Germaniæ Principibus communicari queunt. Sic enim Electori Brandenburgico jus Primariarum Precum indultum esse experientia nos docet. Quin imo cum præsentare possint Vicarij, loco Imperatoris, ad beneficia Ecclesiastica, ceu verba perspicua extant, utique & Jus primariarum precum iisdem communicari possit, sed ex concessione itidem speciali, quæ in A. B. vix continetur.

§. XII.

Hic observatione dignum judicatur, sub recollectione illa reddituum & proventuum, quæ tertiam Potestatis Vicariæ speciem constituit, etiam comprehendendi totum illud Accepti & Expensi complexum. Nimirum ideo collectos voluisse redditus Carolum, quod ipsis Imperij quibusdam necessitatibus commode subvenire possent Imperio tempestive provisuri.

Quin autem & hujus rei rationem noviter electo Imperatori reddere teneantur, prout Administratores vel illi qui delegata gaudent potestate, non dubito.

Sic quoque manifestum est, quod si quid in commodum & usum Imperij de suo à Vicariis collatum foret, tempore Interregni, ad ejus refusionem præstandam utique omnino obligari novum Imperatorem vel Imperium.

§. XIII.

Quod si contingit Vasallos Imperij de Feudis suis investiendos esse, & hanc quoque potestatem, ceu quartam

tam





tam juris Vicariatus partem Vicariis concedit A. B.; addendo & juramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperij recipiendi. Hæc vero de feudis minoribus sunt intelligenda; Majora enim seu Vexillaria soli Imperatori reservavit Carolus, ut videbimus in sequentibus. Quod juramenta fidelitatis attinet, ea per Regem Romanorum postea electum, suo tempore omnia innovari & de novo sibi ipsa juramenta præstari debent.

## S. XIV.

Vidimus sic breviter, quid per expressam Constitutionem Vicariis adjudicat A. B. Restat, ut paucis adnotemus & ea, quæ ipsis vi Legis non competunt: Nam quicquid Vicariorum potestati adimit A. B. illò & carere eos omnino arbitror. 1. *Feudis Principum*, sc. tam Ecclesiasticorum, quam Secularium, duntaxat exceptis, & illis, quæ Banlehen vulgariter appellantur; quorum investituram & collationem soli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter reservamus. Feuda Principum Ecclesiasticorum cum sceptro, Secularium per vexillum concedi solebant. Ban vel Fahne Lehen ideò appellantur, quod per vexillum à Principe tradi & conferri solerent. Non solos vero Principes gaudere Feudis vexillaribus, ceu vult Buxtorf. ad h. l. Sed & reliquos Dominos Territoriales, aperte satis innuere videntur verba; & illis quæ &c. Superflua enim alias forent.

Omnem vero vexillarem investituram sibi reservarunt Imperatores, ut ex hoc loco patet, & ex Recessu Imper. Worm. A. 1521. vom Regiment; S. Und behal- ten uns bevor die Belehnung der Lehen und Regalien der- jenigen / die Sie unter den Fahnen öffentlich mit Solennitäten pflegen zu empfangen / zu verleihen.

Hinc



Hinc emendatione opus habet Vulgata Moguntina translatio A. B. c. V. ubi, ausgenommen der Fürsten Sahn-Lehen. rectius enim vetus MS. habet, der Fürsten Lehen und Ban-Lehen/ sicuti & Textus Latinus.

Quid autem hodie circa Feuda Majora, h. e. quæ plurimos & magni momenti redditus habent, disporre valet solus Imperator vid. capit. Leopold. Art. XXX.

2. *Ipse tamen Comes Palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium hujusmodi Provisionis tempore expresse sibi noverit interdictum.* Ubi itidem inconueniens est Lectio Versionis Moguntinæ: Derselbe Pfalzgraffe hat aus Kayserl. Güte zu verbieten alle Veräußerung ic. Vetus & genuina sic habet: Doch so soll derselbe Pfalzgrave wissen / daß ym öffentlich verpoten ist alle verändrung oder Versekung des Reichs gut die Zeit er Vormunt ist;

Quin autem hoc & Saxoni prohibitum sit, nullo caret dubio. Ipsi enim Imperatori nullatenus integrum est bona seu partes Imperij alienare vel oppignorare, prout caute satis & opportune hæc Clausula inserta est Capitulationi Carolinæ §. 9. & reliquis omnium Impp. Et super hanc rem legi sane meretur Contingius *de fin. Imper. L. II. c. XIX. p. 373. & seq.* qui zelo non fucato de veritate rei differit. Porro & titulus Imperatoris omnem Imperij diminutionem sancte abdicat; zu allen Zeiten Mehrer des Reichs.

Hinc ergo patet in Vicarios suos id juris conferre non posse Imperatorem, quo ipse non gaudet.

§. XV.

Hac §. ostensuro, quid in genere & citra has expressas Potestatis species Vicariis, LL. Fundamentalibus & Reipublicæ forma salvis, competere possit, in-



primis facile videtur iudicium de iis, quæ Imperatori non sunt licita citra consensum omnium vel certo in casu certorum Statuum, ut *jus decernendi belli, Legum ferendarum*, & id genus alia, de quibus disponit J. P. Westp Art. 8. Gaud. & Capit. Car. V. §. 2. Scilicet ea nec à Vicariis absolute exerceri posse. Reliqua autem cuncta Vicariis concessa, salvo omni jure, existimantur, quæ vel moram, quâ ad novam opus est Electionem sive regressum Imperatoris, pati nequeunt, vel in præjudicium succedentis aut redeuntis Principis non vergunt. Cuncta dico, quæ ad Imperij commodum & salutem statuum spectare possunt. Nam Imperij naturam considerando, ideò Potestatem supremam in aliquo residere invenio, quod omnia in conservationem Boni Publici dirigi debeant. Hic enim est scopus omnium Rerumpublicarum & Societatum, etiam pessimarum. Atque sicuti salus Reipublicæ pro summa Lege meritò habetur, ita nullatenus subsumi potest, voluisse Legem his, qui vicem Imperatoris, tanquam vivi & præsentis, gerent, illa adimere vel non permittere, quibus salus Publica vel maxime eget, vel ut fundamento innititur. Venia ergo detur, quæso, si paulum à rigore Limnæi recedam, ejusmodi nimis stricte ferentis sententiam, T. 1. L. III. C. de Vic. Imper. Vicariis amplius concessum nihil esse, quam quod expressum reperitur in A. B, præcipue cum ipse sibi contradicat Lib. 8. c. 1. Vicarios statuendo Academiis Privilegia concedere posse. Isti itaque Limnæianæ Regulæ talem potius darem Metamorphosin: Vicariis non plura adimi posse, quam quæ prohibet Aurea Bulla, Reliqua, quæ subticenrur,

pro

pro  
ne e  
jusRhe  
ciali  
cessa  
mili  
nece  
arcel  
lium  
juris  
atqu  
non  
rum  
jam  
una  
ac m  
reliq  
scrip  
nibu  
duas  
xonu  
perio  
Alem  
jecti  
rolo  
bus a  
Saxo  
tanq  
rius c



pro concessis habenda; nisi quæ Imperatori soli ratione electionis aut coronationis novæ competunt, ut jus Primariarum Precum, &c.

§. XVI.

Porro ex quo fundamento Comiti Palatino ad Rhenum atque Saxoni præ cæteris Principibus & Officialibus omnibus Vicariatus Prærogativa fuerit concessa, non vana visio videtur. Quod non tam ex familiarum potentia ac splendore, vel antiquitate aut necessitudine, neque ex Caroli I V. demum Privilegio arcessendum, quam ex prærogativa Principum Officialium Imperij partim, partim etiam duplicis generis jurisque Provinciis Germaniæ, juris scilicet Francici, atque Saxonici. Quod posterius fundamentum A. B. non obscure indigitat. Etsi enim Natio Germanorum universa in plures nationes gentesve particulares jam tunc olim hodieque divisa sit, atque olim etiam una communis omnium lingua Celtica, itemque jus ac mores, quos C. Tacitus in primis nobis descriptos reliquit, certum tamen est, quod post illustris istius scriptoris tempora, prævalentibus ex una parte Saxonibus, ex altera Francis, totum Germaniæ regnum in duas quasi Diœceses fuerit divisum, quarum altera Saxonum potentia, jure ac dialecto, altera Francorum Imperio, atque idiomate usa: præsertim postquam & Alemanni & Bavari Francorum Imperio jam tum subiecti fuerint, quum Saxones inter partes Imperij à Carolo M. reciperentur. Quod jus præcipuè Saxonibus ab Ottone I. Imper. confirmatum, erecto tandem Saxoniam utriusque Ducatu. Francica porro Diœcesis tanquam primaria, vix poterat administrationi alterius committi, quam primario quoque Principi atque



Officiali Imperij aulico, qui ipse fuit Comes S. Palatij aut Comes Palatinus ad Rhenum, Judexque Aulicus. Moris siquidem Francici & Germanici semper fuerit, ut Officiales Regni Primarij Seculares quinque essent, abrogato videlicet Majore Domus atq; Patriciis Francorum, quorum numerus postea ad quaternarium fuit reductus. Inter eos primas tenuit Comes S. Palatij, post quem fuit Comes stabuli seu Marescalcus, quem secutus Dapifer, hunc Pincerna, & denique Camerarius. Minores enim Palatij ministri huc jam non pertinent. Comitatus S. Palatij officium constitit præcipue in justitiæ administratione in ipsa Aula, ut constat ex *Capitular. Car. M. L. 3. C. LXXVII. & Lib. 2. LL. Longobard. 2. 46. C. 1.*

Hincmarus de Ord. & Off. Palatij Cap. XXI. *Comitis Palatij, inter cætera penè innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes Legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium Palatium aggrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret seu perverse judicata ad æquitatis tramitem reduceret.* Walafrius Strab. de Reb. Eccl. C. 31. *Quemadmodum sunt in Palatiis Preceptores, vel Comites Palatij, qui Secularium causas ventilant: ita sunt & illi quos Cappellanos Franci appellant, Clericorum causis prelati.* Aventinus Lib. IV. *Is vicem Cesaris presidendo Senatui principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusq; reddebat, fiscum Augusti, prædia salica, redditus Regios procurabat, Cesareum censum exigebat, nihil citra ejus auctoritatem duci aut decernere, aut statuere licebat.* vid. du Frêne in *Glossar. & imprimis ad Joinvillam Dissert. XIV.* ubi etiam docet quod & Reipublicæ, seu publicas causas, quæ ad statum ac dignitatem regni atque Regis pertinuerunt, cogno-



cognoverint: Atq; non tantum in Palatio jus dixerunt: sed & in *Provinciis*. Unde primo legimus missos Comites Palatij in Provincias ad justitias faciendas: postea in singulis majoribus Provinciis certi ac *Perpetui* Comites Palatini constituti, qui vice Regis & Imperatoris jus dicerent. H. Conringius in *Censura Diplom. Lud. pag. 199.* differentiam quidem inter *Comites Palatij* & *Palatinos* constituit, quod istorum aulicum sit officium, horum Provinciale. Sed Jo. Mabillon Vir CL. *Lib. 2. de Re Diplom. C. XI. 13.* ostendit promiscuum utriusq; usum; Atque Cap. seq. etiam plures simul fuisse Comites Palatij.

## §. XVII.

Altera post Comitatum S. Palatij dignitas *Comitis Sacri Stabuli* & Domesticorum, ut in veteri Inscriptio-  
ne Stilichonis vocatur, Comes Stabuli *l. 3. C. Th. de Equor. co.* corrupte *Constabulus*, Regino An. 807. cui in Palatio cura Domesticorum & Equorum Regionum incubuit, foris vero & belli tempore idem exercitum duxit, & Marscalcus seu *Marescallus* etiam vocatus. *V. H. Speelman. Glossar. Voc. Mareschall.* Aliud Dapiferi fuit munus, quod ministerium mensæ Regiæ primò denotat, quod extensum fuit etiam ad Fisci Regij administrationem, imo ad totius Palatij curam & jurisdictionem atque etiam ad dignitatem militarem & vexilli Regij ferendi: idque sub nomine etiam Senescalci, qui in locum Majoris Domus successisse dicitur Bignonio, atque videtur vox hybrida ex lingua Provinciali, *senus, senicus, lenex, & scalcus*, ut senioresem seu Primarium ministrum denotet. Quem vero diximus fuisse Comitem S. Palatij: atque H. Speelm.



Speelm. in Glossar. Diatriba de Dapifero annotat duo munera in Senescalco fuisse conjuncta, & Comitena Palatij fuisse *magnum* Senescalcum, seu Megadomesticum Græcorum, *minorem* vero Dapiferum in Aula Car. M. & Senescallum seu Domesticum simpliciter. Sed quum tempore Caroli M. diversa utique fuerint officia æque ac nomina, Comitum Palatij, & Senescalli sive Dapiferi, successu temporis Dapiferatus adsociatus fuit Comitatu Palatij, ita ut & Comiti Palatij & Dapiferi & Senescalli tituli tum reperiantur in eodem Officiali. *vid. Glossar. du Fresne voc. Senescall.* Et quum antea in Subscriptionibus Diplomatum Regionum præter primarios Officiales etiam alij, ut *Cocus*, subscripserint: sub Ludovico Grosso R. Franciæ Occident. subscribentium numerus ad *quatuor* illos reductus una cum Cancellario, scilicet ad Dapiferum, qui idem cum Senescallo, Camerarium, Constabularium & Buticularium sive Pincernam: ut observavit *Dom. Mabillon L. 2. de Re Diplom. C. XII. pag. 121.* Unde & illud patescit, ordinem horum Officialium non semper ita accuratè atque perpetuo fuisse tunc observatum, sed forte ratione aut ætatis aut diuturnitatis administrationis variatum. Atque Comitum Palatij dignitatem in Senescallum translata ab Hugone Capeto, Comite antea Palatij, postea Rege, observavit *V. Cl. Ge. Schubartus de Comit. Palat. pag. 155.*

## §. XVIII.

Jure Franciæ Orientalis atq; Germaniæ quaternio ille Officiorum Secularium primariorum non tantum stabilitus, sed & communicatus fuit singulis Principibus Imperij per Constitutionem Imperij de Expeditione



tione Romana, quæ communiter Carolo Crasso tribuitur: *singuli vero Principes suos habeant Officiarios speciales Marefcalcum, Dapiferum, Pincernam & Camerarium*; ubi Comes Palatij omittitur, quia Palatij jus ad Regem solum pertinebat, jus tamen analogum ad Marefcallum, ut jure Franciæ Occidentalis ad Senescallum tum relatum. Utut porro in ordine horum Officialium sæpe variatum fuisse reperiatur, tandem tamen Aurea Bulla ordinem perpetuum introduxit, spreta intermedia varietate, fundamentum ipsum secuta: Quod ipsum etiam ut eo solidius ad futuram disceptationem jaciamus, hæc ita præmittenda esse censuimus, eaq; ex re fore.

§. XIX.

Jam de Palatino in specie fusius agemus. Originem Vicariatus Palatini innuit A. B. Cap. V. in verbis: *Illustris Comes Palatinus Rheni, S. R. Archidapifer, ratione Principatus, seu Comitatus Palatini privilegio, esse debet Provisor Imperij.* Textus Germanicus vetus: *So soll der Pfalzgrave vom Rein Vormund seyn des Heil. Reichs/ von der Pfalzgraffschafft wegen.* Recentior versio *ratione Principatus* transtulit, von des Churs Fürstenthums wegen/ quum tamen Comitatus Palatinus sit Principatus etiam absque Electorali Dignitate per se, conf. Freh. *Orig. Palat. P. 1. C. 15. p. 112. & P. 2. c. 1.* Cæteroquin in concreto verum est, quod Comes Palatinus ad Rhenum, qui Electorali dignitate non est præditus, non gaudeat Vicariatus Jure: itaque sequitur: *und der Pfalzgraffschafft Freyheit wegen.* Officium scil. Aulicum Comitæ Palatij Imperialis est origo & fundamentum juris Vicariatus, quod ut reliqua ab initio non fuit hæreditarium: successu temporis ta-

men



men Officia illa Aulica etiam minora jure feudi fuerunt concessa, & territorio feudali præsertim certo in perpetuum annexa, ut Successor in tali feudo regali eo ipso in jus quoque Vicariatus succederet. Porro feudum hoc hæreditarium ita concessum & in territorio radicatum, ad Rhenum situm esse dicitur, quæ *de Rheno* facta cognominatio à primordio non fuit: Qui ergo natales ejus?

§. XX.

Enimvero bona Patrimonialia Comiti Palatij Regum Francorum, atq; ipsi Pipino & Carolo M. à quibusdam sub ista qualitate adhuc adsignantur, ab aliis Palatium Trevirensis, ab aliis Palatium in medio Rheni apud Cubas situm, quos rejicit Hubertus Thomas Leodius *Annalium de Vita Friderici II. Comit. Palat. Lib. 1. pr.* Ipse vero ait Pipinum atque Carolum ut Majores Domus adhuc, i. e. Comites Palatij in patrimonio tenuisse amplissimo ad Mosam Jopillam, Aquisgranum, Duream, & totum tractum ad Mosam atque circa Leodium, Districtum Juliacensem, Clivensem & Bergensem, Brabantiam, Antverpiensem Marchiam, & Districtum ad utramque Rheni ripam ab exitu ejus usque ad Argentoratum ferme, Arduennam sylvam præsertim ubi attingit Rhenum, & vetus Palatinatus etiamnum hodie appellatur. Sed hanc assertionem Auctori suo relinquimus, quum nec ipsam satis probare videatur, & à Majore Domus ad Comitem Palatinum Rheni ejusque sive Patrimonium sive Feudum regale nulla sit consecutio. H. Conringius *in Censur. Diplom. Ludov. pag. 199.* arbitratur Comitem Palatinum Rheni à Friderico I. Imp. quasi substitutum fuisse in locum veterum Palatij Comitum. Sed antiquo-





quiorem esse Palatinatum ad Rhenum atq; ad Arnul-  
 fum Imp. Car. M. abnepotem referendum esse, auctor  
 est Andreas Presbyter Ratisbonensis in Chron. Bavar.  
 qui ait: *Arnolfus Regum Europa famosissimus, castrum  
 Scheyrn in terra Bavariae construens, Comitatus Pa-  
 latinos ibidem instituit. Inter cujus filios Arnoldus  
 accepit Ducatum Noricorum, (i. e. Bavariae) Wernherus  
 Comitatum in Scheyrn & Comitatum Palatinum Rheni.  
 Idem Andreas in Vernaculo reddit Comitatus Palatinos,  
 Gefürstete Graffschafften. Vixit Andreas hic sub Sigis-  
 mundo Imp. quemque Cives sui Livium censuere, te-  
 ste Aventino.*

Ait Arnulfum Imp. *Comitatus Palatinos instituisse,*  
 unum Schiræ, in Bavaria, alterum ad Rhenum. Unde  
 Otto, qui post Henricum Leonem Dux Bavariae fa-  
 ctus, Comes Schirensis, appellatur Comes Palatij à  
 Radevico *Lib. 1. de Gest. Frid. l. c. 20.* Wernerum porro  
 reliquisse Ottonem & Eckardum filios, atque Otto-  
 nem in divisione accepisse Comitatum Palatinum  
 Rheni & construxisse Castrum Wittelsbach, idem  
 Andreas refert. Enimvero licet in dubium recentio-  
 res vocent, quod Andreas Fratres Arnolphum sive Ar-  
 noldum & Wernherum vel Eberhardum, vel Herman-  
 num alij, filios ipsius Imp. faciat, sed potius fuisse fi-  
 lios Arnulphi Ducis Boiariae & nepotes Luitpoldi Du-  
 cis Boiariae, cujus mentio apud continuatorem Regi-  
 nonis pag. 73. quod & Freher. ad Andream observavit;  
 Certum tamen est, & Arnoldum illum & Wernerum  
 sive Hermannum fuisse Comites Palatinos ab Ottone  
 I. Imp. in Bojaria constitutos, non de novo, ut videre  
 est apud Aventin. *L. IV. pag. 296.* Etsi igitur circa Ge-  
 nealo-

D

nealo-



nealogiam hanc, ut alias dubium sit, nec tamen quoad rem ipsam ratio est, cur Andreae fidem derogemus, quod utrumque Palatinatum Bavariae & Rheni ut hereditarios instituerit Arnulphus Imp. & illum affixerit Schyrensi territorio, hunc vero Rhenensi; quum enim ipsi praeter aliis Bojaria sua placeret, ut ibi potissimum resideret, necessarius ad Rhenum erat Vicarius: ut & in Saxonia. Atque quum subinde etiam ex Bojaria ab hostibus evocarentur, in ipsa quoque Bojaria vicarius constitutus seu Palatinus, quae dignitas apud Comites Schyrenses continuavit, donec & ipsum Ducatum à Frid. I. Ann. 1180. adepti. M. Freher. P. 2. Orig. Pal. C. 1. hunc Andreae locum de Palatinis inferioribus accipit, sed non ad mentem Andreae, qui mox sese ipse explicat: *Wernerus Comes in Schyryn, frater Arnoldi Ducis Bavariae genuit Ottonem & Ekkardum (aliis Eberhardum) qui simul diviserunt: Otto accepit Comitatum Palatinum Rheni, & construxit castrum Wittelsbach: Ekkardus vero remansit in Scheyrn.* Unde constat, Andreae certe teste, Comites Palatinos Rheni jam tum praeter tractum ad Rhenum etiam in Bavaria obtinuisse terras, & speciatim, Castrum Wittelsbach, cujus possessio penes eos mansit usque ad Ottonem Caesaricidam, quo profugo An. 1208. Ludovicus Dux Bavariae Wittelsbach patruelis sui regiam, ait *Aventin, L. VII. p. 406.* incunabula majorum suorum diruit, solo æquavit, templumque ibi Deiparae Virgini condidit. Comitatum vero Palatinum Rapoto ab Artenberg adeptus, qui vices Caesaris absentis praesidendo Tribunali perfungeretur, ut idem loquitur.

Andreae suffragantur Annales Palatini, de quibus hæc

hæc  
Ann  
consi  
ejus  
nos e

mer  
infic  
possi  
dis o  
Mag  
1060  
bach  
ratio  
filiu  
mo  
reco  
Svvi  
Keyse  
ribu  
nen  
ram  
felt  
dica  
rato  
vit,  
ubi  
liari  
Ezz  
quo  
Tri  
Hei

hæc



hæc Irenicus in Germ. Exeges. L. 3. C. 54. *Palatinorum Annales Carolum M. filium ejus Ludovicum Palatinum constituisse referunt, & post hunc Ludovicum Regem, inde ejus filium Arnulfum, inde Bernherum quendam in Palatinos evasisse.*

Quicquid tandem ejus sit, quum in re obscura temere aliquid definiendum non sit, illud sane non est inficiandum, Comitatum Palatinum Rheni varios possessores nactum fuisse. Sifridus Pater S. Kunigundis conjugis Henrici II. Imp. Comes Palatinus Rheni Magnus appellatus à Trithemio *Chron. Hirsaug. An. 1060.* utrum ab Ottone Com. Pal. Rheni, qui Wittelsbach exstruxisse ab Andrea dicitur, sit, incertum est, ratio tamen temporis forte non refragabitur. Ejus filius Ezzelinus Com. Pal. Rheni litem Imperatori moverat ob dotem sororis per decem annos, tandem reconciliatis animis Imperator ei donavit Insulam S. Svvigberti cum oppido Angiæ Cæsarianæ, quam vulgo *Keyfersuvert* appellant, duobus fere à Novesio milliariibus juxta Rhenum fluvium, cum omnibus pertinentiis, atque oppidum *Dusberg* inter Rhenum & Ruram flumina cum omnibus proventibus, itemque *Salfelt* cum omnibus emolumentis suis: Hæc non modica regni beneficia de consensu Principum, memorato Comiti Palat. & omnibus hæredibus suis donavit, ut refert idem Trithem. *Chron. laud. an. 1014.* ubi & proprius fundus ejus Bruviler dicitur, uno milliari distans à Colonia, in quo Cœnobium fundaverat. Ezzelini Pronepos fuit Eberhardus Dux Mosellæ, de quo linea continuatur Comitum Palatinorum, ait Trithem. *Chron. Hirsaug. an. 1060.* & Frater ejus Henricus Comes Pal. Rheni & Dominus de Lacu, sive



Lacensis, de quo Freh. Orig. Pal. P. 2. C. 9. Porro Castrum & Civitatem in Heidelberg, Comitiam in Stahlbuhel & villam Neckirovve ex antiquo in feudum ab Episcopis Wormatiensibus tenuisse Comites Palatinos Rheni, testatur Simon Episcopus Wormatiensis in literis Investituræ, quas desuper renovando dedit Ludovico Com. Pal. Rheni X. Kal. Jan. 1287.

Huic igitur territorio, quod multis variisque accessionibus auctum fuit, alligatum est jus Comitis Palatij ad Rhenum, primatis inter cæteros Palatinos Comites in Bavaria, Suevia & Franconica, quos recitat Jus Alem. Prov. C. XIX. & Jus Sax. Prov. L. 3. A. 53. Etvid. Ge. Schubartum de Comit. Palat.

Territorio itaque Palatinatus ad Rhenum hæreditarie annexum fuit jam tum tempore Imperatorum Carolinæ stirpis, primariò officium *Comitis S. Palatij*, & eo ipso consequenter etiam Vicarij Imperatoris, ut ex antecedentibus liquet, quum Comes S. Palatij vice Imperatoris vel Regis jus dixerit, & de summa Reip. consultationes atque curias egerit, ut adeo jus Vicariatus & Comitis S. Palatij non tantum integraliter, sed sed & essentialiter sibi invicem sint unita. Ex intervallo deinde contigit, quod duo diversa officia Comitis Palatij & Dapiferi fuerint uni Officiali conjunctim concredita. Quæ unio utpotè accidentalis, eò facilius quoque dissolvi iterum potuit. Tertio denique Comitivæ S. Palatij, ut primario officio seculari aulico, semper quoque infuit jus eligendi Imperatorem, unà cum reliquis & officialibus Imperij & Principibus ac Statibus, sed per A. B. demum exclusis reliquis septem illis Officialibus jus Electoratus solis competere coepit. Unde tamen conficitur, Jus Vicariatus à Co-  
mi



mitatu Palatino ad Rhenum, tanquam à causa sua immediata & proxima dependere, non ab Electorali dignitate, multo minus ab Archidapiferatu, quum utraq; dignitas auferri possit & separari à Comitatu Palatino ad Rhenum, Vicariatus non item.

Par ratio fuit circa Vicariatum Saxonicum. Neque enim ab Electoratu immediate dependet ille, sed à Principatu vel Comitatu Palatino Saxoniae, cui annexa & Archi-Marschallia S. Imperij, ut apertissime patet ex singulari A. B. quam Carolus IV. Ducibus & Elector. Sax. de jure & successione Electorum Saxoniae An. 1376. IV. Id. Junij dedit, exhibita à Goldasto *Constit. Imp. T. 1.* ubi toties quoties inculcatur, jus Electorale manifeste competere Duci Saxoniae, tanquam Duci Saxoniae ac Imp. S. Archimareschallo, non vice versa, itemque Ducatum, Principatum & Comitatum Palatinum Saxoniae & annexam Archimareschalliam S. Imperij obtineri cum omnibus libertatibus & honoribus, (inter quos praecipuus Vicariatus) nec non jus & potestatem eligendi Rom. Regem, tanquam dependens à priori. Itaque pariter Principatus & Comitatus Palatinus Saxoniae fundus est ac fundamentum, cui haereditarie inhæret Officium Comitis Palatini in Saxonia vice Imperatoris jus dicentis: adeoque essentialiter Vicariatus concurrit. Adjuncta huic fuit Archimareschallia Imperij, quæ tamen à Ducatu & Comitatu Palatino Saxoniae abesse potest, salvo Ducatu & Comitatu Palatino Saxoniae, atq; imo & abfuit antequam haereditario jure uni certæ familiae atque territorio officia aulica fuerunt annexa: plane vice Regis aut Imper. jus dicere in Saxonia à Comitatu Pala-



tino Saxoniae per essentiam suam abesse nunquam potuit.

§. XXI.

Igitur non solum ex Aurea Bulla verbis, *Comitatus Palatini Privilegio*, liquidum est Vicariatu gaudere Comites Palatinos, sed & ex literis Car. IV. quæ in Confirmatoriis Car. V. exhibentur à Goldasto in den Reichs-Satz. *Constit.* 40. p. m. 241. Ubi & antiquitas hujus officij docetur: *Solche Freyheit von alten und langen Zeiten gehabt haben/ scil. Comites Palatini, qui Electores.* Ex antiquo itaque & longo tempore hae Vicaria potestate gavisi sunt Comites Palatini sub quietâ possessione & continuo, pro re nata, exercitio, usque ad primordia fere præsentis Seculi, atque proscriptionem Electoris Frid. V. R. Bohemiae. Præterquam quod Duces Bavariae uti totum jus Electorale ad se pertinere contenderunt, ita speciatim Vicariatu Palatino sese subjectos esse negarunt, & an. 1612. in Camera Spirensi recessum protestatorium contra citationem Camerae nomine Vicariatus Palatini & sub sigillo illius emissam in causa Ottingen contra Beyern proponi fecerunt. Itemque A. 1614. per scriptum publicum, cujus tit. *Kurztes Gegen-Bedencken und Bericht von der Churfürstl Pfaltz Vicariats-Gerechtigkeith:* in quo quidem multa exempla afferuntur, quod Sigismund. Imp. præter protectionem Concilij Basileensis, etiam in aliis causis commissiones decreverit Wilhelmo Duci Bavariae, non Ludovico IV. Elect. Palat. quum in Italia esset: Sed patet ex Epistola Ludovici subjecta sub lit. P. P. quod eodem tempore se subscripserit Vicarium Imperij, An. 1432. quæ potestas longè differt à Vicario & protectore Concilij speciali, & commissionibus singularibus. Dum



Dum porrò Fridericus ille ob motus, quos sub suo ductu moliebantur Bohemi dignitate sua Electorali cum omnibus ad eam pertinentibus juribus, atque & hac Vicaria potestate exueretur, Electoratus ipse in Bavarum per investituram est collatus, & unà cum ipso hoc quoque jus Vicariatus. Restituito autem postmodum per Instrumentum Pacis Westph. in Electoratum & sua majori ex parte bona Palatino Carolo Ludovico, Frid. Filio, & hoc sibi, jam tum Electori, competere putavit jus sub iis, *quibus ante motus Bohemicos Electores, Principes Palatini gavisi sunt.* Atque quum Elector Bavarix post Instr. Pacis investiretur de novo de Electoratu Bavarix, omissum fuit jus Vicariatus in literis investituræ an. 1652. ad instantiam Palatini, *Limna. Add 3. II. pag. 219.* nec per omnia diffitetur autor *Gegen-Verichts An. 1657.*

Verum data post decennium fere occasione magnam Palatino litem hoc nomine intendit Bavarus, cujus cardo cum in interpretatione voluntatis Legislatoris Art. IV. vertatur, nec alius sit Legem interpretari, quam cujus potestas eandem ferendi, vel abstinendum prorsus est à decisione aliqua, vel convenienti utriusque partis rationum consideratione, media saltim per Civilem Medicinam ostendenda, quibus optime illæsis omni ex parte juribus controversia hæc componi queat; Visuri primum §. seqv. ex brevi historica commemoratione, quando & quænam incunabula cœperit, & quousque se extenderit.

§. XXII.

Dissidia & vehemens nimis æmulatio, quæ inter has duas Domos Bavaricam & Palatinam semper & quidem præcipue sub hoc currente seculo fuerunt, per orbitum



bitum Imperatoris Ferdinandi III. valde recrudescere coeperunt. Illo enim An. R. S. 1657. 2. Aprilis st. n. vitam cum morte commutante, nova inter eas controversia, ratione Vicariatus Imperij orta est.

Et sicuti jam Vicariâ Reipublicæ curâ opus erat, Bavarus eam sibi, ut Electori & Archidapifero, unice competere arbitratus, & opportuno quodam zelo conata sua celare studens, ante omnia cum Saxone de conjuncta in administrandis Imp. vicibus operâ, & Vicariati sigillo transegit; Literasque susceptionem Vicariatus indicantes ad Status Imperij misit, qui præpropere magis & festine, quam re optime perpensa, gratulabantur.

Palatino molimine Bavari noto, per suas primum Provincias, per reliquam dein Germaniam de violatione sui, sibi soli jam omninò competentis juris publicis questus est literis, atque omnem edictis Bavaricis obedientiam sibi subditis inhibuit. Quosdam Principum festini sui applausus erga Bavarum equidem poenitebat; sed quæ jam tum acta erant, retractari non posse videbantur. Nec ullo modo de sua præensione remissis agere voluit Bavarus: Uterq; edicta de Vicariatu Francofurti, Coloniae & quaquaversum publicari ac locis eminentibus affigi curavit, quorum formulæ videri possunt in Diario Europæo, ad h. A. & 6. Apr. Ad 12. Maij. Ad  $\frac{2}{7}$ . Junij. Tom. I. pag. 310. Ad 1. April. 1658. T. I. p. 665. & pag. 698.

Ex hisce ad maximas simultates incaluerunt animi utriusque: Nam quæ uno in loco machinati sunt Bavarici, id in altero destrui fecerunt Palatini. Sic Coloniae Agrippinae Bavaricum Diploma Curiae Urbis appensum rescindi suumq; affigi fecit Palatinus; Quod-

que



que & sustulit primum Bavarus, postmodum vero sub à latere junxit.

Adscripsit sibi hoc Vicariatus jus ex occasione verborum, quæ in J. P. Art. IV. §. 3, habentur, & quatenus S. R. J. Elector post Regem Boh. Secularium primus & Archidapifer, sicuti sequentia de argumentis utriusque partis pluribus docebunt.

Palatinus vero *ratione Comitatus Palatini*, & quatenus majores sui, ut Comites Palatij, hac potestate gavisi, id juris sibi deberi ostendit per Apologiam quandam, quam ea de causa sub titulo *Kurz- und Summarischer Bericht* etc. edi curavit. Sic vicissim quoque Bavarus Relationem reciprocam (*Ein Gegen-Bericht*) publici juris fecit: Atque postmodum multa hinc inde Publica scripta exstitere, prout quisque suo favere visus est domino: & hinc Principum animi acerrime exagitati sunt.

Bavarus hoc tempore septem agmina Equitum Peditumque jussit conducendos, eo quasi intuitu, hoc sibi jus vi & armis iret pervictum, vid. Diar. Europ. loc. cit. quod tamen aliàs Statibus Imperij per ult. §. Instr. P. sub crimine fractæ Pacis severe prohibetur. Ipsi enim animum maxime addidit sua Potentia & Austriacorum reliquorumque favor; optime namque noverat plus tum temporis sibi accessisse Saxonem, quam Palatino, ceu ex responso ejus ad literas Palatini nunciatorias de die 19. Aprilis apparet. Quippe qui, *admirari se, quod nunc de suo in Vicariatum jure certiores se facere velit Palatinus: Mutata enim esse illa per Instr. P. Westph. quæ olim constituit A. B. Se ergo in partes ejus ire non posse: Sed jam tum cum Bavaro ratione Sigilli Vicariatus convenisse: Nec aliter sese gerere potuisse argumento*



*nova Sanctionis Pragmatica*, ostendit. vid. Diar. Eur. ad h. d. & ad 5. Maij. An. 1658. ac conf. Disc. ad Instr. P. W. D. XXVI. P. I. p. 452.

Hiscæ & similibus ita gestis interposuit se Collegium Electorale, atque hanc litem non nisi æterni inter has inclytas Domos dissidij fomentum fore videns, utrumque ab omni contentione & acerbo conflictu sub gravioris poenæ constitutione in posterum prohibuit, revocatis & oblivione deletis prioribus; vid. *Citat.* Quoad reliquum autem, res ipsa tunc indecisa mansit.

## §. XXIII.

Quandoquidem autem durante hujus controversiæ tempore per plurima, uti dictum, Scripta Publica res hæc ventilata sit, opellæ pretium me facturum existimo, si brevibus hic primaria utriusque partis argumenta nectam.

*Pro parte Bavarica*  
Palmaria hæc fere sunt.

I. *Conferrî in Bavarum Electoralem Dignitatem per verba clara Instr. P. VVestph. cujus annexum omnino sit Vicariatus.*

II. *Non concedi Palatinis Vicariatum in verbis restitutoris. Ergo id probent; Investituram Maximiliani tribuere possessorium, qua in totum non sit abolita.*

III. *Non in aprico esse, quis Comitum Palatinorum primus Vicarius vel primus Elector.*

IV. *A. B. mentionem facere Electoratus, cujus causa Vicarius constitutus sit Comes Palatinus: Nam Germanicæ versio dicit, des Chur-Sürstenthums und Pfalzgraffschafft wegen.*

V. Ex.



V. *Exstare factum Ruperti. Nec usos Electores antiquitus insigni Comitum Palatini in Vicariatu, sed Electoris. Et quæ id genus alia.*

Nunc prius quam Palatina adduci queant, obiter solummodo disquiratur, quid hisce reperi posse videatur. Et quidem, primum quod attinet, inficias ire nemo potest, quin Electoralis dignitas Bavaro conferatur per dictam Legem. Sancitur enim Art. IV. §. 3. *Et primò quidem, quoad Domum Bavaricam Dignitas Electoralis, quam Electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus regalibus, officiis, precedentibus, insignibus, & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto. &c.*

Num vero hæc verba tam clara sint, inde ut sponte sequatur, sub hac dignitate Electorali omnino comprehendi debere jus Vicariatus, satis forte non cerni probatum. Nam quæ non expressa sunt, jure prætendi nequeunt. Sub Regalibus enim, officiis, &c. satis intelligi possunt, Archidapiferatus, primus post Regem Bohemiæ in celebratione Curia locus, & ejusmodi alia. Non autem ea, quæ Comiti Palatino, quâ tali, specialiter sunt concessa. Ut jus judicandi Cæsarem, Vicariatus. &c. A. B. c. V. §. 1. 3.

Notabile enim est, quod ea demum officia in J. P. Bavaro concessa esse dicantur, quæ ad hanc concessam dignitatem Electoralem spectant. Quum autem transactiones sint stricti juris & interpretationis, non poterit extensio fieri ad ea officia & jura, quæ Comitatu Palatino ad Rhenum præcise & fundamentaliter inhaerent, in quem & omnia ei inhaerentia jura una cum no-

ad h.  
W.

Col-  
terni  
e vi-  
con-  
erum  
ibus;  
inde-

over-  
blica  
n exi-  
argu-

m per  
sit Vi-

restri-  
n tri-

norm

causa  
mani-  
graffo

V. Ex.



va Electorali dignitate restitutus fuit Comes Palatinus & in suum Palatinatum ad Rhenum, eoque ipso in jus Vicariatus atque in jus dijudicandi causas Cæsarem spectantes.

Unde ad secundum patet non incumbere Palatinis probationem aliam, quam quâ ostenditur Annexum Electoratus non esse Vicariam illam Potestatem.

Quid de Possessorio, quod Bavaris tribuit Investitura Maxim. I. sit judicandum, vel ex eo apparet, quod hæc ex parte abolita sit, nam etsi negari non possit ipsi A. 1623. per investituram collatum esse Electoratum una cum Vicariatus jure, ea tamen cernitur fuisse causa, quod & ipse Comitatus Palatinus Rheni ei concessus fuerat, quod existente forte casu vacantia nullus certus non existeret Vicarius, quæ vero post restitutionem Palatini valere non potest.

Ad tertium, Per Historica, quæ referuntur, exempla aliasque ex jure veteri probationes monstratur Auræ Bullæ tempore longe vetustiore esse Comitatus Palatini Vicariatum, quum semper pari passu ambulaverit cum ipso Comitatus Palatini officio. Et quid si non foret? Exinde tamen Bavaris nullum enascitur argumentum: Quin potius sufficere Constitutionem Car. IV.

Ad sequentia Respondent, Sprengerus *Jurisp. Publ. L. II. C. XXX.* Limnæus *ad A. B. C. V. Obs. V* & Burgoldensis P. I. Disc. XXVI. Atque data occasione de iis pluribus infra: Sicuti etiam si quid amplius pro Bavaro statui possit: Hisce *in modum discursus* saltem dictis.

§. XXIV.

Jam de Palatinis argumentis videamus. Et licet solidè



solide satis asserantur Palatino sua jura, & præcipue hoc Vicariale per publica illa scripta, quæ pro parte ipsius exstant, ita ut si ea hic loci adscriberem, crambem bis coctam proponere me velle viderer; cum tamen & nonnulla supersint dicenda, quæ eâ, quâ huic negotio vacare licuit, curâ observare potui, non possum non brevibus & illa ipsa addere.

Videtur autem hic statum Palatini dupliciter esse considerandum; qualis nempe ille fuerit ante, & qualis post Instrumentum P. Westph. respectu Vicariæ hujus Potestatis. Priusquam sancita & hæc Lex, in quietâ fuit hujus juris possessione Palatinus, vel quasi per integra tria secula, usque ad terminum supra §. 20. annotatum, quô omnia Electoris Palatini jura, ipsaque dignitas in Bavarum sunt collata, ceu ex literis Investituræ Maximiliani I. liquidò apparet.

Post Instr. Pacis verò, & quidem per apertam ejusdem Legis sanctionem, priora sua jura una cum Comitatu Palatino recuperavit. Art. IV. §. 5. *Quoad Dominium Palatinam &c. & §. 6. Deinde ut inferior Palatinatus totus cum omnibus & singulis Ecclesiasticis & singularibus bonis, juribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesq; Palatini gavisi sunt, omnibus documentis &c. eidem, sc. Carolo Ludovico Com. Palat. plenarie restituantur.* Hinc ergo statim elucet, non solum in Electoratum, qui octavus & tunc ultimus fuit, sed & in ea cuncta jura restitutum esse Palatinum, quæ ad Electoratum vel Archidapiferatum non pertinent, vel quibus ante motus Bohemicos gavisi sunt Comites Palatini, atque sic per convenientem inductionem sequitur retentum sibi per Instr. P. W. hoc Vicariatus jus, præcipue cum illud per eandem Pacifica-



tionem non in Bavarum, nec plus, conferatur, quam quod expresse est constitutum. Nam licet quæstio, cujus Vicariatus sit, aperte non decidatur, cum tamen de omnibus juribus & dignitatibus, quæ Palatino antea sunt ablata, in Instr. P. actum fuerit, consequenter & de hoc Vicariatus jure transactum putatur. Pro se ergo fundamentum juris & præsumtionem habet Palatinus, quòd sc. loco & verbis allegatis tacite de hoc jure actum sit, atque ad petitionem & instantiam ejus clausula illa de Vicariatu Bavaro antea concessa in literis novæ investituræ Ferdinandi Mariæ penitus ommissa & exclusa fuerit.

§. XXV.

*Fundamentum juris pro se habet, quod scil. Vicariatus jus non ab Electoratu, neque à Dapiferatu, ut indissolubile annexum, sed à Comitatu Palatino & tali officio, dependeat. Hoc autem est, quod negant Bavarici, qui altius originem Vicariatus Palatini, quam ex Constit. Car. IV. non repetunt; Inde statuentes hoc Vicariale jus esse appendicem Electoratus, ob verba, quæ in textu Germanico, des Chur-Sürstenthums wegen/ exstant.*

Verum huic opinioni ipsa A. B. verba contradicere videntur, *Comitatus Palatini ratione vel Privilegio,* quæ sic jacent in textu latino, nec contrarium involvere possunt ea, quæ in Germanico *des Chur-Sürstenthums wegen* leguntur, si modo sano intelligantur sensu. Interim tamen latinus textus pro authentico habetur, & tantò majori gaudere videtur auctoritate, quantò antiquis Imperij Constitutionibus est conformior. Et licet verosimillimum appareat Imperatorem hanc suam Constitutionem pro æquali auctoritate in utraque



que lingua promulgatam voluisse, quod & confirmat  
 Cap. XXX. A. B. & Capitulatio Car. V. Art. XIV.

Inde tamen statim non sequitur, à latina lingua re-  
 cedendum esse, ubi dissentit Germanica; sed inter tex-  
 tum Germanicum veterem & cœvum Latino, atque  
 inter recentiore & interpolatum esse distinguen-  
 dum, & sine dubio prior posteriori præferendus, quan-  
 quam neuter sit authenticus, sed Latini authentici  
 translationes, & quarum auctores non utique idioma  
 latinum ejusque sensum satis rectè affecuti observan-  
 tur, quod vel ex Procemio apparet, ubi per bella inte-  
 stina inter Julium & Pompejum, utrumque vocabulum  
 substantive acceptum & sic redditum: *den striit mit  
 scharfen swertern bis uff das gederme.* quæ in recentiori  
 quidem emendata.

Quin imo si A. B. per se ipsam interpretanda est,  
 utique procerto constat, hanc vocem Principatus, non  
 aliter Germanice, quam per *das Fürstenthum*/ explican-  
 dam esse, cœu ex *Cap. VII. §. 1.* & *Cap. XX.* ubi Vox Prin-  
 cipatus sæpius est repetita, liquet.

De cætero, quid in probationem argumenti, quod  
 Palatinis ratione Comitatus hæc potestas debeat, di-  
 ci possit, salvâ quam utrique Principi debemus venera-  
 tione, breviter videamus: simul suo loco ostendendo,  
 illud ab antiquiori repetendum principio, quam A. B.

§. XXVI.

Quò à reliquæ plebis quasi mixtura & colluvie  
 condigne distinguerentur dignissimi & præclarissimi  
 quique, nomen Comitatus, sicuti & Ducis, Papæ, Regis,  
 Imperatoris, in usum communem venisse, optime ra-  
 tiocinari quis potest. Sic enim apud Romanos ap-  
 pellatio Comitatus tanquam Primæ dignitatis Magistra-  
 tusve



tusve nomen audiebatur, ut *Comites Sacri Palatij, Rei militaris, Patrimoniorum, Scholarum, &c.* de quibus *Codex & Nov. Justin.* ut: *L. 1. C. de Comit. & Trib. Schol. L. 1. & 2. de Comit. Rei Milit. &* notantur præcipue *L. 1. Cod. de Com. & Archiat. Sac. pal. & L. un. de Comit. qui Prov. reg.* Atq; *Besoldus & Speidel. Thesaur. Pract. voce Graff/ Comit.*

Penes Germanos Principi semper *Comites* adfuerunt, uti testatur *Tacitus in de Mor. Germ. C. 13. n. 5. Gradus quinetiam & ipse Comitatus habet, judicio ejus, quem sectantur; Magnaque & Comitum emulatio, quibus primus apud Principem suum locus, & Principum, cui plurimi & acerrimi Comites.*

Notat quoq; in sua natura nihil aliud vox *Comitis*, quam quod simpliciter *Comes*, à *Comesse*, vel *cum & esse* dicitur. Imperatores enim vel summi Principes in suos *Comites* vel aulicos, vel itineris, non nisi eos receperunt, qui vel generis splendore & antiquitate maxime conspicui erant, vel aliàs probatissima vita reliquos antecellebant. Sic *Comites Imperatoris, Palatij, vel Palatini*, de quorum officio mox videbimus, dicti sunt. Sic *Comites quoque, qui Provinciis, ut Governatores præfuerunt, appellati, ut Comes Isauria, i. e. Præfectus Isauriæ Nov. XXVI. C. II.*

Deinde *Regiæ Præfectus, Major Domus, vel post Carolum M. Comes Palatinus* quasi pro *Synonimis* servierunt.

Atque hinc successu temporis in magni honoris vocem & insignem titulum abiit nomen *Comitis*, ità ut sibi gloriæ duxerint etiam Principes ipsi, καὶ ἐξοχὴν *Comitis* titulo uti. *v. du Fresne Gloss. Cæteris*



Cæteris porrò omnibus præferri cœperunt Comites Palatini, ob Palatij præ reliquis officiis & Dicasteriis prærogativam. Neque enim Boxhornio *in Hist. Univ. ad A. C. 988. pag. 579.* adsentimur, qui Comites Palatinos non à Palatio, sed à limitanea Imperij ditione cui præfectos fuisse autumat, à Pfal, Paal, Lantpalen, dictos putat, Marcham & Marchiones cum Palatinis temerè confundens.

Penes Germanos, absente vel super causas cognoscere detrectante Cæsare, Palatino Comiti id facere incubuit. Speidel. *in Besold. Thes. Pract. voc. Pfalzgraff.* Hinc judex Palatij, Pfalzgraff/ sicuti Palatium quoque alicubi Pfalz/ E. g. hic Argentorati, dicitur.

Inde ergò est, quod in Cap. cit. §. 3. ejusmodi Primarij judicis officium Comiti Palatino Rheni competere judicat A. B. ceu *ex consuetudine introductum* est. Extra dubitationis aleam itaque esse dudum monstrarunt Scriptores, tale judicandi officium Comitibus Palatinis Rheni, quã talibus, utique adhærere, restat & consideremus, quid eodem in sensu de Vicariatu, cujus judiciaria illa potestas tanquam species est, dici queat.

§. XXVII.

Vicariatum potius dici annexum Comitatus Palatino, quam Electoratus, primò vel exinde probari videtur, quod etiam ante Septemvirale Collegium constitutum hac Vicariali dignitate gavisi sint Comites Palatini. Communis enim Dd. sententia est, ante Frederici II. tempora nullum ejusmodi institutum fuisse Collegium; quod non solum ex Martino Polono, quem circa medium Seculi decimi tertij vixisse probat Voss, *de Hist. Lat. L. II. C. LX. p. m. 485.* & primam

F

Septem-



Septemvirorum mentionem fecisse judicat Baronius, ostenditur, sed & apertis rationibus id evincere student Onuphr. Panyin. de Com. Imp. c. VI. Thuan. L. II. Lehman. in Chron. Spir. L. V. c. XVII. Conring. de Germ. Imp. Rep. Acroam. IV. p. 106.

Hoc vero tempore antiquiorem fuisse Vicariatum, non modo rei necessitas suadet, sed & illum penes Palatinos præcipue fuisse sequentia forte evincunt. Cum enim genus suum à Carolo M. (cujus tempore nullum exstitisse Electorale Collegium, nullosque Septemviros, apud omnes fidem invenit) ducere dicantur Comites Palatini, verisimiliter statui potest hanc Vicariatus dignitatem unà cum genere ad successores & Posterios propagatam fuisse. Præcipue enim hoc confirmant ea, quæ de Arnulfo, Carolomanni filio, Caroli Crassi successore traduntur, scil: *Carolo Crasso, quod rebus suis publicisque administrandis superesse non posset, curatorem datum esse Arnulfum*, ut habet P. Æmilius. Curatorem enim agere hic loci nihil vult aliud, quam Vicarium, vel provisorem. Unde & vice-Imperatorem appellat Arnulphum Compilatio Historica apud Pistorium T. I. Script. rer. Germ. p. 730.

II. Deinde ex clarissimis A. B. verbis, *Comitatus Palatini Privilegio*. Inde etiam patet ante A. B. viguisse hoc Vicariale Palatini munus, quod & ex German. Aventini codice L. 7. tit. *Wie König Rudolf starb. 2c.* probatur; Nimirum post Rudolphi Habsburgensis mortem interregem fuisse Comitem Palatinum Rheni. Ita enim habetur: *In dem Jahr 1290. da Herkog Heinrich starb / starb auch König Rudolf fünff Monath und eilff Tag hernach / da er seinen Sohn Herkog Albrechten aus Oesterreich an das Reich wolte gebracht haben / und*



und darumb also das Reich ohne König und Kayser/ so  
 ist der Pfalzgraff am Rhein des Heil. Reichs Vicarij.  
 Latinus Textus Lib. VII. p. 443. ita: Solet in Germa-  
 nia, quamdiu orbata Capite, Præfectus Prætorio Rhe-  
 ni Duxque Bojorum interrex esse, atque Imperij mu-  
 nia obire. Ludovicus tum hujusmodi dignitate de-  
 fungens apud Rhenum diversabatur, filius ejus Rudol-  
 phus in Bojaria degebat, atque uti Augustani, vicini  
 sui, cives Sacerdotes, episcopus, se atque Parentem su-  
 um tanquam interreges reciperent atq; imperata obe-  
 djenter facerent, postulabat.

Nulla hic Electoratus mentio facta est. Sed & idem  
 testatur Martinus Crusius L. 3. *Ann. Suevic.* & vid. Span-  
 genberg. in Chron. Mansfeld. C. 116. Ubi de Duce  
 Ottone tempore Ludov. IV. loquitur: Daß er die fürs-  
 nemsten und schweresten Bürden im Reich seither Kay-  
 ser Arnolfs Tode tragen müssen / und daher auch des  
 Reichs getreuer Verwalter und Kayserlicher Vicarius  
 genante wird. vid. Burgold. P. I. p. 454.

III. Ex aliis Imperij Constitutionibus. Sic  
 enim simili jure Vicariatum obtinuisse Electorem Sa-  
 xoniæ literæ Sigismundi Imper. de Anno 1414. com-  
 probant, ceu vid. Besold. *Thes. Pract.* Voce Vicarij  
 des Reichs/ ubi ait: Solch Vicariat gehört dem Churs  
 Fürsten aus Sachsen / als einem Pfalzgrafen. Diese  
 Pfalzgraffschafft aber ist in Sachsen und Westphalen/  
 und nicht in Meissen/ wie aus einem Lehen-Brieff Kö-  
 nig Sigismunds/ de A. 1414. zu sehen ist. h. e. Ejusmodi  
 Vicariatus competit Electori Saxonix, quatenus Comiti  
 Palatino. Hic Comitatus Palatinus autem in Saxonia est  
 & Westphalia, & non in Misnia, sicuti ex literis investi-



turæ Regis Sigismundi de Anno 1414. videre est. Hæc verba nec sine fundamento sunt, etsi nulla Constitutio. In eo tamen errat Besoldus, quod Comitatum Palatinum Saxoniam in Westfalia ponit, patet enim ex Sigismundi concessione in Saxonia superiori eum esse, atque in Præfectura Alstetensi fundari, quam quum cederet Augustus Elector Sax. Duci Sax. & Exelectori Jo. Friderico, reservavit sibi Jus Palatinus. *Hortled. de C. B. G. V. 25. 5.* Simili dixi jure; Nam literæ investituræ Saxonis recentiores hoc quoque testantur, in quibus habetur, **das Schur- Fürstenthum Erzh- Marschall- Ampt und Schur des Herzogthums zu Sachsen/ auch Vicariat und die Pfaltz zu Sachsen mit ihren Zugehörungen.**

In Sigismundi Imperatoris Bulla de An. 1413. & 1434. ubi de jure & Successione Elect. Palatinorum agitur, hæc leguntur verba: *Nec non omnia & singula Privilegia, donationes & concessiones quaslibet per Divos Romanorum Reges & Imperatores, prædecessores nostros; & Nos, dicti Ludovici progenitoribus Comitibus Palatinis Rheni, & sibi quomodolibet factas, datas & concessas authorizamus &c. & tenore presentium de certa scientia confirmamus.* Invenies ap. Goldast. Const. Imp. T. I. p. m. 143.

IV. Hæc jam edocti, obiter & illud addimus, neminem ob Electoratum Vicarium Imperij esse, ergo nec hoc illius annexum; Si enim jure Electoratus veniret Vicariatus, Bohemo utique veluti primo Electori & Regia quoq; dignitate fulgenti ille competeret. Sed uti non omnes Electores sunt Vicarij, nec Vicarij præcise Electores, quod exemplo Ruperti



perti in filium suum Ludovicum Vicariale munus An.  
1401. conferentis probatur. In Imperio vero Germa-  
nico omnes Ordinarij Vicarij habent Comitiam Pala-  
tij, & vicissim. Unde concluditur non quâ Electores,  
Vicarios esse, sed quâ Comites Palatinos. Eatenus  
enim Electores sunt, quatenus Officiales; quod ver-  
bis auctoris magni Chron. Belg, evincitur: *Et quam-  
vis tres Ottones supradicti per successionem generis regna-  
verunt, postea tamen cum Imperium apud solos Saxones fe-  
re per annos centum perdurasset, institutum fuit, ut per  
Principes Officiales Imperij Imperator eligeretur.* Item  
conf. Abb. Stad. in Chron. p. 313. & vid. Gevvold. d. S. R.  
Imp. Septemviratu p. 62.

Cum itaque jam valde probabile sit, penes Pala-  
tinum hanc Vicariatus potestatem ratione Comitatus,  
in quem per Instr. P. Osnab. restitutus est, esse & fuisse,  
exceptionis suæ contrarium adserenti probatio in-  
cumbere videtur.

§. XXVIII.

Hiscæ ita præmissis, pro Palatino & ea afferuntur,  
per tot temporis spatia, quibus hoc Vicariali jure u-  
sus & gavisus est, neminem antea suæ Vicariatus  
administrationi contradixisse, dum scilicet illam post  
Auræ Bullæ constitutionem ab A. 1356. Comita-  
tus Palatini, ceu verba jacent, Privilegio quie-  
te gesserit. Beneficio itaque Præscriptionis amplius  
in hoc suo jure turbari non posse. Recentiore  
contradictionem negotium non evertere, cum pro  
se nullam Imperij Legem habeat, nec aperte de eo ju-  
re statuatur in Instr. P. Osn. Priorem ideò legem in  
omnibus iis punctis salvam & integram manere, in



quibus vim suam ipsi non derogat nova & posterior.

§. XXIX.

Per claram jam vero literam probari, non amisisse Palatinos suum in Vicariatum jus, cum nihil ipsis per Instr. P. W. ademptum judicari possit, quod expressis verbis positum non sit. Disponit enim solum illud Instr. & quidem Art. IV. cit. de restitutione cujusque partis per injurias belli læsæ, & præsertim ab initio mox de amica compositione inter has duas inclytas Domos, Palatinam & Bavaricam. Et cum jam præter alias in Palatinum factas prætensiones etiam tredecim myriades solvendas postulaverit Bavarus, in majorem hujus satisfactionem, amore Auræ Pacis, Dignitas Electoralis, Palatinatus Superior unà cum Comitatu Cham in Bavarum ex communi Paciscentium consensu & voluntate sunt collata, qui & ideò prætensis 13 Millionibus renunciare tenebatur. *Art. IV. §. 4.*

Nullam vero hic apparere Vicariatus mentionem, sed optime præsumi posse illum Palatino cum Comitatu retentum esse, cujus ratione & Privilegio ipsi competit.

§. XXX.

Accedit & hoc, quod, uti verbo antea innuimus, in Investitura Ferdin. Mar. & recentissima Electoris Bavarici omnis mentio Vicariatus omissa sit, quandoquidem post Legem sancitam per Pacem Osnabrugensem amplius nihil in Palatinatu Inferiori possideat. Et factum hoc esse judicio atque arbitrio Imperatoris satis monstrarunt Scr. Palatini, atque præcipue ille in Re-

futura-



futatione contrarelationis Bavaricæ, seu ut titulus est:  
 Ableinung des Chur-Bayrischen Gegen-Berichts.

Sponte igitur & ex se ipso quasi sequi, de quo quis  
 non est investitus, illud utique & exercere non potest.

Instant autem hic Bavarici, atque idè in literis In-  
 vestituræ nihil de Vicariatu exprimi dicunt, cum ex-  
 presse hac de re statuatur Instr. P. W. per verba: *Sicut ha-*  
*tenus, ita & imposterum maneat, §. 3.* Quæ de inve-  
 stitura Bavari tempore belli facta intelligenda volunt,  
 vid. Aut. des Chur-Bayrischen Gegen-Berichts.

Sed regeritur: non posse verborum contextum, si  
 bene inspiciatur, hanc citra torsionem aliquam tole-  
 rare *ἐκθεσιῶν*, cum potius illas priores Investituræ literas  
 restringat, siquidem non nisi de Electorali Dignitate,  
 Palatinatu superiori una cum Comitatu Cham, ibidem  
 hoc intuitu sanciat.

§. XXXI.

Demum & hoc additur, Vicariatum non posse  
 commodè Electoratu vel Dapiferatu adhærere & an-  
 nexum esse, cum nulla omnino connexionis ratio ma-  
 nifesta appareat: Per accidens enim, nec ab initio,  
 juncta sunt hæc duo, ut supra pluribus ostensum: atq;  
*τὸ ἐν ἀρχῇ* petitur, si quis asserit, mediante Dapiferatu  
 inesse Comitatu Palatino ad Rhenum Vicariatum.  
 Contrarium simpliciter asserit & ut sancitum antiqui-  
 tus confirmat, quod Vicariatus jus competat & funda-  
 tum sit ratione Principatus Palatini, non dicit ratione  
 Dapiferatus, quæ in abstracto utique discernenda, et si  
 in concreto concurrere possint. Porro quamdiu Lex  
 Posterior non derogat Priori, neque contrarium san-  
 cit, permanet utique sanctio vetus, & hic Auræ Bullæ,  
 quod ratione Principatus Palatini ad Rhenum com-  
 petat



petat Vicariatus: atqui Inst. Pac. separavit quidem à Comitatu Palatino ad Rhenum Dapiferatum, & separari facile potuit; Sed non separavit Vicariatum ab eodem Comitatu Palatino, igitur adhuc hodie post I. P. illi essentialiter inhærere videtur.

§. XXXII.

De cætero, à Bavaricis oggeritur, Vicariatus jus non tam in Palatinatu ad Rhenum, quam in Præcedentia & Prioritate inter Electores in A. B. fundari, quæ Prioritas per Instr. sæpius dictæ Pacis in Bavarum est translata. Imo inconueniens fore, quod si infimus Electorum Vicariam in cæteros exerceret Imperatoris Potestatem.

Ad Prius reponunt, nodum in scirpo quærere velle videri, cui ipsius A. B. responsio §. 1. Cap. V. sufficiens & clara satis non sit.

Posterius Eruditis non magnum movere scrupulum, nota cum res sit inter Electores Seculares ratione Potestatis & extra suum ordinem Collegialem, paritatem semper habendam esse, cum unus respectu Imperij magis non valeat, quam alter: Reliquis Ordinis solum gratia factis. Sanè constat, Romanorum Imperatoribus inconueniens haud visum fuisse, Præfectis Prætorio Rerum summam atque iudiciorum committere, *l. 1. C. Th. de Episc. aud. l. 117. C. Th. de decurion.* ut sacrâ vice soli verè cognoscerent, *l. 16. C. Th. de appell.* & tamen Consules *degedeia* gaudere *l. un. C. Th. de Coss.* ut & Patriciorum ordinem, etsi sine iurisdictione, *d. l. un. & ibi Jac. Gothofr.* Neque Ottoni M. vitio versum, quod Romam profectus, Hermannum Billingium Vicarium in Saxonia relinqueret, necdum ducem.

§. XXXIII.



Hæc fuere præcipua illa argumenta, quæ pro utriusque parte allegari potuerunt, atque licet hac in controversia decisivam adhuc non tulerit sententiam Imperator, (cujus est unà cum Electoribus ac Statibus super ejusmodi causis cognoscere) laborasse tamen multos Principum, concordiam hisce inclytis Domibus & dissidiorum oblivionem exoptantium, ut convenienti quadam ratione hæc & aliæ sedari possent controversiæ, quovis fere tempore apparuit. Præcipue autem rem ipsam aggressi sunt circa Annum 1670. atque parum abfuit, quin tota hæc super Vicariatus jure orta lis rite composita fuerit, ceu Tractatus, qui eo tempore sub certis Mediatoribus confecta sunt, satis comprobant, quorum contenta primaria, ut operâ dignissimum pretium, in compendium redacta hic, ut rem Lectori cuivis B. gratam, subnectere voluimus.

EXTRACTUS  
*Ex Relatione Germanica.*

Der zwischen Chur-Bayern und Chur-Pfalz nachher  
Ulm veranlasseter und daselbst gepfogener  
Tractaten,

Occasionem ad hos tractatus dederat Landgravius de Fürstenberg, Wilhelmus Egon, hodie E. R. Cardinalis Eminentissimus & Episcopus Argentinenfis An. 1670. 17. Decembr. communicatâ aliquâ formulâ Unionis inter utrumque Electoratum: Electis propterea utrinque mediatoribus Maximiliano Henrico, AEp. & Elect. Colonienfi, & Philippo Wilhelmo Com. Palat. ad Rhenum. Atque etsi & aliæ inter utramque Domum controversiæ simul ad arctiorem unionem in-

G

CUN-



eundam componendæ essent, primario tamen de Vicariatus controversia actum fuit: quumq; antea de tertio Vicariatu erigendo mentio facta fuisset, mox relicto hoc consilio, ea Unionis Formula à Mediatoribus fuit Partibus proposita ad diem 3. Sept. 1671. Ut quoties sedes Imperatoris Romani vacaverit, Vicariatus Imperij ad Rhenum, in Aurea Bulla Palatinatui ad Rhenum concessus, utrique Electoratus communis esset, & conjunctim administraretur per communem Vicariatus Senatam, utriusque Electoris nomine atque communi Vicariatus Sigillo: Directorium per menses alternando, ita ut in proxime futuro interregno primo mense Bavarus, in sequente interregno Palatinus primo mense dirigeret, & in casu discrepantiæ seu Paritatis Votorum decidendi jus haberet. Quod si vero hic modus communionis non placeret Partibus, alterum proposuerunt: ut alternis mensibus causæ emergentes per cuiusque Electoris Consiliarios proprios reciperentur, cognoscerentur & nomine illius sui Electoris expedirentur: Atque in Primo interregno Bavarus primo mense gauderet, in subsequente Palatinus: Atq; hanc alternationem duraturarum usque ad extinctionem Octavi Electoratus. Denique Titulaturam alteri ab altero dandam, quâ quisque ipse uteretur. At Bavarus præterea prætendit solus jus constituendi Præsidentem communis senatus, qui & Directorium haberet & in casu Paritatis Votum Decisivum.

Mediatores porro & Palatinus duos Præsides qui dirigerent alternatim, communi tamen nomine, Unum, qui à Bavaro, Alterum, qui à Palatino constitueretur, proposuerunt: At Bavarus suum Præsidentem etiam Palatino juramentum præstare debere obtulit:

Sic



Sic fore, ut Palatinus Bavaro hæcenus coadæquatus, & Bavaro nihil nisi denominatio tantum Præsidis reservata esset, quem tamen ita se electurum obtulit, ut neutri antea subjectus esse deberet.

Circa Titulaturam Communis Vicariatus, Palatinus hanc formam proposuit:

Ferdinandus Maria & Carolus Ludovicus D. G. Comites Palatini Rheni, Utriusque Bavariæ, ut & Palatinatus Superioris Duces; S. R. I. Archidapifer & Archi Thesaurarius, Principes Electores, in Partibus Rheni, Sueviæ & juris Franconici Provisores & Vicarij.

At Bavarus istam: quasi Palatina esset contra I. P.

S. Dei Gratia Ferdinandi Mariæ, Utriusque Bavariæ & Palatinatus Superioris Ducis, & Caroli Ludovici Comitis Palatini Rheni, Bavariæ Ducis, S. R. I. Archidapiferi & Athesaurarij, Principum Electorum, in Partibus Rheni, Sueviæ & Juris Franconici Provisorum & Vicariorum.

Quod ad jus constituendi Præsidem attinet, Mediator Neoburgicus hoc temperamentum proposuit, ut illud Bavaro concederetur, Palatini vero Adessor primarius titulum Cancellarij haberet: quod Palatinus ita acceptavit, ut absente Præside Cancellarius vice ejus fungeretur. Itemque si Præsides causam aliquam pro-



ponere nollet, ut Cancellario illud facere jus esset, eo-  
que casu tertius Assessor Palatinus constituendus: ut  
Senatus hic in loco tertio extra Bavariam & Palatina-  
tum in Meditullio Circulorum collocaretur: ut archi-  
vi clavem etiam Cancellarius haberet; & Sigillatio in  
Pleno fieret: Titulatura ita scriberetur:

Wir

Ferdinand Maria

Carl Ludwig

in Ober- und Nieder-Bay- Pfalzgraff bey Rhein/ des  
ern/ und der Obern Pfalz Heil. Röm. Reichs Erzh-  
Herzog / des Heil. Röm. Schatzmeister und Churs-  
Reichs Erz-Truchseß und fürst ꝛc.  
Churfürst ꝛc.

Und in den Landen des Rheins/ Schwaben und  
Fränckischen Rechts Fürseher und  
Vicarij.

Ex his Mediatores novam Formulam Unionis  
cum temperamentis suis proposuerant, atque dies con-  
veniendi Ulmæ 28. Novembr. 1672. condictus, sed ad  
7. Jan. 1673. prorogatus fuit. Postquam 14. Jan. tra-  
ctatus primordia cœperunt, desiderarunt Palatini, ut  
finis ultimus, unio utriusque Domus præliminariter  
tractaretur, ut deinde de mediis specialibus, inter quæ  
Vicariatus controversiæ compositio præcipua, dispice-  
retur: unde communicatio earum rerum quæ cum  
aula Cæsarea & Gallica interea gestæ, saltem gene-  
ratim & reciproce sollicitata. Bavaro hic tergiversan-  
te, post aliarum quoque litium mentionem hinc inde  
factam, tandem præmissis protestationibus, hos tracta-  
tus si compositio non sequatur, neutri parti præjudi-  
cio fore, ad tractatus de Vicariatu progressum ad d. XI.  
Febr.




Febr. atque à Palatino adhuc duo Mediatores religionis  
 Evangelicæ desiderati: quo ipso mediatio suspensa fuit  
 usque ad  $\frac{1}{7}$ . <sup>Febr.</sup> <sub>Mart.</sub> Nec tamen, nisi  $\frac{8}{8}$ . Martij demum  
 Formula Mediatorum de Vicariatu considerata, & de-  
 clarationes hinc inde factæ, quæ partibus tamen verbo-  
 tenus non communicatæ, sed temperamentis adhibitis.  
 Hinc alia atque alia & tandem hæc Formula à Mediato-  
 ribus coniecta: I. Bavaro jus esse nominandi Præsi-  
 dem Vicariatus, personam illustrem, neutri antea sub-  
 jectam, sed immediatum membrum Imperij, qui tunc  
 utrique juramentum præstare & officium Præsidis Vi-  
 cariatus utriusque nomine gerere debeat. II. Bava-  
 rus tres Assessores Relig. Cathol. & unum Secretarium  
 Palatinus totidem Religionis Evangelicæ, & unum Se-  
 cretarium, constituat, utriusque nomine juramento  
 obligandos. III. Primarius Assessor Palatinus titulo  
 gaudeat Cancellarij, & primo voto, & præcedentia in  
 & extra Senatum præ reliquis Assessoribus. In Senatu  
 vero soli Præsidi præsentis jus esse vota evocandi, idque  
 alternative de latere ad latus, præterea in Causis Politi-  
 cis & Civilibus Conclusum per majora pronuntiandi,  
 vel si paria, suo voto causam decidendi. IV. Impedi-  
 to Præsidi ad unum vel alterum diem, directorium sub-  
 eat Cancellarius primumque Votum tunc habeat pri-  
 mus Assessor Bavaricus, conclusum tamen Præsidi  
 communicetur: Vicissim & Cancellario impedito.  
 Si absente Præsidi vota paria fuerint, redux ille con-  
 clusum faciat, vel vice Præsides. V. Si impedimen-  
 tum alterutrius fuerit diuturnum, fas sit Bavaro Vi-  
 ce-Præsidem, aut Palatino vice Cancellarium con-  
 stituere.



VI. Aut statim ab initio in eum eventum Vice-Præsidem & Vice-Cancellarium esse constituendum: In casum Mortis vero ut in Art. I. VII. Instructionem communi nomine concinnandam esse, contra quam quoties unus vel alter facturus quid, id confestim ad utrumq; Electorem esse referendum: Interea vero in aliis causis pergendum. VIII. Præsides & Cancellarius secretum Vicariatus conjunctim in arca custodiant, & singulis clavis diversa concedatur, in Archivo conservetur & omnes sigillationes in pleno fiant. Similiter & ad Archivum vel Registraturam Præsidi & Cancellario duæ claves discrepantes dentur. IX. Revisio conceptorum in pleno Senatu utriusque Religionis Adessoribus præsentibus fiat, supplicationes & memorialia non nisi in Consilio recipiantur & præsententur ab utroque Secretario, & eo ordine, quo exhibentur, proponantur: exceptis his, ubi periculum in mora, quo de conveniatur inter Cancellarium & Præsidem. X. Originalia subscribantur tantum ab utroque Secretario, Bavaro ad dextram, Palatino ad sinistram.

In Judicialibus subscribatur: **Vicariats-Gericht.**  
 In Gratialibus: **Vicariats-Sanktley.** Et Sigillum in pleno imprimatur. Schema vero sedendi hoc esto:



XI. Si vota paria, Præsides vel ejus Vicarius in causis politicis votum habeat decisivum, ut Art. 4. In causis vero



vero religionis observetur dispositio I. P. & R. I. de An. 1554. & Stylus Senat. Aul. & Cam. Imper.

XII. Locus Consilij Vicariatus neque in Bavarico neque in Palatino territorio, sed in loco tertio & mixto, ubi utriusque Religionis exercitium, est eligendus. Ad quod Dunkelspiel à Mediatoribus proposita.

XIII. Titulaturam alter alteri exhibeat, quam quisque sibi tribuit. In causis vero Vicariatus hæc esto, salvo cujusque jure:

Von Gottes Gnaden  
Wir

<p><b>Ferdinand Maria</b> in Ober- und Nieder-Bayern/ auch der Obern Pfalz Herzog / Pfalzgraff bey Rhein/ des H. R. R. Erz- Truchsez und Churfürst/ Landgraff zu Leuchtenberg.</p>	<p><b>Carl Ludwig</b> Pfalzgraff bey Rhein/ Herzog in Bayern/ des Heil. Röm. Reichs Erz-Schaks- meister und Churfürst.</p>
--	--

Und in den Landen des Rheins / Schwaben/  
Fränckischen Rechtsens Fürsehere und  
Vicarij.

XIV. & XV. De figura Secreti Vicariatus. His adjecerant Mediatores quædam puncta, quæ ad concinnandam instructionem vel Ordinationem Senatus Vicariatus Imperij facerent.

I. Quomodo contra Præsidentem vel Cancellarium procedendum, qui officio suo non fungeretur.

II. Num acta & producta in pleno prælegenda, an vero alicui ex Assessoribus tradenda ad referendum oratenus vel ex Scripto.

III. Ut Secretarij juratò promittant, nemini sine  
Præ-



Præsidis & Cancellarij consensu, protocolla, S<sup>C</sup>ta, acta & Scripta se communicaturos, sub poena perjurij.

IV. Secretarij alternative Protocollum & concepta S<sup>C</sup>torum observent.

V. Præsentiones Memorialium secundum utrumque Calendarium, sed Præfixio terminorum secundum Nov. Calendarium, ut in Senatu Aulico fiant.

VI. Duo Cancellistæ constituantur eo modo, ut Secretarij.

VII. Taxatorum munere Secretarios fungi posse, Nisi Ordinatio Taxæ Senatus Aulici placuerit.

VIII. De Salaris ministrorum.

Ad hanc Formulam quælibet pars monita sua aperuit, & maxima difficultas circa §. iv. v. vi. & xi. fuit, unde relatio facta ad Principales: Sed quum neutra pars alteri amplius cedere vellet, sed quælibet in suis Ultimis persisteret, Mediatores hanc tandem temperaturam proposuerunt iis super dictas §. iv. v. vi. & xi. Ut Elector Palatinus primario suo Assessori titulum Cancellarij tribuat, qui post Præsidem cæteris Assessoribus omnibus ubique præcedat, & à Præside præsentate primus ad votandum rogetur, & ita alternative procedatur, & in causis Politicis & Civilibus inter partes unius Religionis, quod per majora conclusum, pronuncietur, aut si in dictis causis & inter partes unius Religionis vota paria fuerint Præsides majora faciat & Conclusum publicet. Absente vero Præside interea Cancellarius directorio fungatur ad instar Præsidis, atque huic de omnibus communicatio fiat, quæ vicissim & Cancellario absente faciendæ. Si autem dirigente Cancellario *vota paria fuerint*, referendum esse Vicarijs Imperij, ut conclusum faciant. In cæteris omnibus casibus,

et si



et si Præses dirigat vel Cancellarius, observetur dispositio Inst. P. & aliorum Summorum Imperij Judiciorum observantia. Sed disparitas hæc inter Præsidis & Cancellarij potestatem in casu paritatis votorum; ut & observantia aliorum Judiciorum Imperij, Aulici nimirum & Cameræ, displicuit Palatino & revocavit Legatos, cum protestatione, hos tractatus nullam obligandi vim habere, & continuandos nihilominus esse per Literas vel per Legatos in Comitibus. Hi itaque discesserunt 27. Maij 1673. Interea Bavarus se declaravit, ut Præses in iis tantum casibus, in quibus vigore I. P. & aliarum Constitut. Imper. majora locum habent, ea in casu paritatis facere debeat: Atque Cancellarius Palatinus absente Præsede dirigat, & majora faciat, quoties aliquis ex Assessoribus Palatinis accederet Bavaricis, aut ex Bavaricis unus vel plures Palatinis accederent: Si vero Bavarici & Palatini Assessores in partes abirent, Cancellarius suo voto tantum paria facere debeat, & relationem ad Vicarios ipsos. Palatinus ad hæc respondit: Istam Præsidis restrictionem non displicere sibi, modo etiam addatur: ut in casibus, ubi majora locum non habent, dispositio I. P. & Constit. Imp. observetur: Cæterum quoad disparitatem adhuc reliquam inter Præsidis & Cancellarij potestatem, quoties Bavarici & Palatini Assessores in partes iverint, id repugnare primis tractatibus & Fundamento, quo Cancellarius, loco Præsidis dirigens, etiam Præsidis potestatem exercere debeat. Hoc itaque reducto & inserto, posse transactionis Instrumentum confici, utrique parti communicari, & dies Conventus iterum eligi, ut Instrumentum subscribatur. Sed quia nihil amplius hac in re actum, tota negotiatio ita inpendenti permanfit.

H

§.XXXIV.



En, Amice & Benevole Lector; pauca illa, quæ pro modulo ingenij atque ratione temporis & subsidiorum super nobilis hujus Materiæ argumento meditari & congerere licuit:

Illud, Coronidis loco, jam addendo, Totam hanc de Vicariatu controversiam optime decidi posse per Instr. Pac. Westph: Quod Sanctionem Pragmaticam & Legem Imperij Fundamentalem esse, Ejusdem finis, qui coronat Opus, luculenter ostendit.

Addendum ad pag. 5. §. III.

Trithem. Chron. Hirsang. Edit. ult. p. 428. Anno prænotato, Imperatore adhuc in Italia existente, Arnoldus Moguntinensis AEpiscopus Hermannum Palatinum Rheni Comitem propter injurias, contumelias & rapinas Wormatiensi tam Ecclesiæ, quam Pontifici & Clero irrogatas cum suis auxiliariis excommunicavit. Qui commotus in iram cum magno suorum exercitu terras A Ep. hostili animo ingreditur, & devastans omnia in pauperes crudeliter debacchatur. Contra quem AEp. suorum quoque misit exercitum; fuitque inter eos nimis atrociter pugnatum. In parte Palatini Comitis fuerunt Gothfridus Comes de Spanheim, Emicho Comes de Lyningen, Henricus Comes de Katzenhelenbogen. Conradus Comes de Kirchenberg. Henricus Comes de Didesheim & complures alij, qui omnes una sententia in AEp. conspirarunt. Verum audito Imperatoris adventu subito territi omnes quieverunt. In fine prænotati anni Frid. Imper. de Italia reversus, Nativitatem Domini in Wormatia cum magno apparatu in præsentia multorum Principum celebravit. Ad erant inter cæteros suprascripti Pacis transgressores Herm. Com. Pal. R. Gothfridus Comes in Spanheim, &c. quos Imper. propter conjuratæ Pacis violentiam dure arguit, & de consilio Principum canes pro satisfactione vinculorum portare jussit. Quo facto AEp. illos ab excommunicatione absolvit. Porro ex parte ipsius AEp. canes portare cœperunt Ludov. de Lohum & Wilhelmus Comes de Glizberg; sed ob reverentiam AEp. Dignitatis mox ab astantibus rogatus Imperator, eos jussit cessare.

Δόξα μόνῳ τῷ Θεῷ.

CORRIGENDA.

Pag. 28. l. II. leg. Franconia. Pag. 32. l. 22. leg. remissius  
Pag. 37. l. 13. leg. §. XXI.



B. M. II, 8  
h. 15, i.

DISS

VIC  
IMPE  
GI

VIR  
DN. JOH  
J Cti Famig  
toratensium R  
fessoris in II

Pub  
Die 23.

JOHANN

Ex Calcogr  
de Vic

Ve  
3050

X 1975729

NIS

IS  
NO.



CI  
TERI,  
Argen-  
ij, & Pro-  
, Cele-



III.  
A. & R.

\*\*\*\*\*

DOR  
l. n. 83.

III 8



Kodak  
LICENSED PRODUCT

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

